

288, 10.

Bericht

über das

Gymnasium Petriuum zu Brilon

während

seines zehnten Schuljahrs, 1867—68,

erstattet

von dem

Director **C. Noeren.**

Vorausgeht eine Abhandlung des Gymnasiallehrers Mette: **De satira Romana
et satyrica Graecorum poesi.**



Brilon, 1868.

Buchdruckerei von W. Friedländer.

96r
43 (1868)

201, 101

1871



Erklärung des Abgangs des Herrn ...



Dresden, den ...

De satira Romana et satyrica Graecorum poesi.

Litteras Romanas ex Graecis esse natas, inter omnes constat; et sane argumentis maxime idoneis demonstrari potest, et scriptores Latini ¹⁾ satis confirmant, omnia fere genera litterarum Romanarum aut originem aut certe perfectionem Graecis debere. Antiquissimorum quidem temporum reipublicae nulla fere monumenta litteraria reperies, quum Romani agrestes et bellicosi per quinque circiter saecula cujuslibet doctrinae nec non cultus atque humanitatis inimici essent. Accedit jam, quod hac aetate, quae „barbara et inculta“, sive „pueritia linguae Latinae ²⁾“ a viris litteratis merito vocatur, lingua Romana „rustica“ i. e. rudissima et incultissima erat. Quibus rebus factum est, ut Romani artes liberales difficile ac lente adamarent, cultumque Graecorum quam diligentissime prohiberent. Sed bello Punico primo finito, Graecorum litterae a Romanis magis magisque probatae et acceptae sunt, praesertim quum eo tempore nobiles Romani Graecos captos haberent magistros, praeterea Graeci docti obsides (Polybius) et legati (Carneades, Diogenes, Critolaus ³⁾) Romam missi, pristina eritate paulatim exuta, victoribus litterarum Graecarum studium, ad id tempus neglectum, excitarent, eosque, ut exempla proposita imitarentur, impellerent. Frustra Cato ille severus cultum Graecorum refutare studuit; frustra philosophi et rhetores Graeci (DXCIII. u. c.) ex urbe ejecti sunt ⁴⁾: cultus Graecorum prohibendus non erat, sed magis magisque aequis auribus acceptus est. — Sed Romanos, quamvis in litteris Graecorum vestigia presserint, complura tamen litterarum genera, dico historiam, eloquentiam, juris scientiam, satiram, ipsos et invenisse et excoluisse contendimus. Tribus autem prioribus disciplinis silentio omissis, ut propositum sequamur, satirae historiam accuratius perscrutabimur.

¹⁾ Hor. Epist. II. 1. 156:

„Graecia capta ferum victorem cepit et artes
Intulit agresti Latio“

²⁾ cf. Funecii opusc.: „De pueritia linguae Latinae“. Marb. 1720.

³⁾ cf. Plutarch. vit. Caton. maj. C. 22. — Gell. N. A. VII 14, 9.

⁴⁾ Sueton de illustr. rhetor. 1. — Gell. N. A. XV. 11., qui hoc loco „senatus consultum de philosophis et rhetoribus Latinis factum esse“ falso tradit, quum Photius (anno 660 u. c.) scholam rhetor. Romae primum instituerit.

Jam si quaeritur, utrum et nomen et ipsum carminis genus Romanis proprium fuerit an a Graecis peti- tum et satyricae eorum poesi cognatum sit: grammatici de hac re jam multum concertarunt neque adhuc inter se consentiunt. Illud propugnarunt inprimis Jos. Scaligerus, Casaubonus, Spanhemius, Rambachius, Rigaltius, Dacierus, Manso, Koenigius, hoc Jul. Caes. Scaligerus, Dan. Heinsius, Vulpius, Floegelius, Blankenburgius, Conzius. Priores autem viros sequi minime dubitamus, praesertim quum horum sententia ab auctoribus veterum gravissimis et comprobetur et confirmetur. Horatius enim Sat. I. 10, 65 sq. scribit:

„... (Lucilius) fuerit limatior idem
„Quam rudis et Graecis intacti carminis auctor“.

Quin hoc loco de satira sermo sit, non dubium est. Horatius enim hac sua satira contra eos, qui ipsum in Sat. I. 4. de Lucilii satiris inique judicasse criminabantur, se defendit, ingenue simul laudans ea, quae merito in Lucilii satiris laudanda sint. Itaque dicit: Concedam, Lucilium esse ... limatiorem, quam Ennium, auctorem¹⁾ carminis rudis (i. e. numeris elegantioribus nondum adstricti neque mollius fluentis) et Graecis intacti (i. e. carminis, quod ante Ennium nulli Graecorum scripserant, ita ut Ennius etiam Graecis auctor hujus generis sit).

Pari modo etiam Quintilianus Inst. Orat. X. 1, § 93 Romanis laudem inventionis hisce verbis tribuit: „Satira quidem tota nostra est, in qua primus insignem laudem adeptus est Lucilius“. Et paulo inferius: „Alterum illud etiam prius satirae genus, sed non sola carminum varietate mixtum, condidit Terentius Varro, vir Romanorum eruditissimus“, unde luce clarius apparet, praeter illam satiram, quam „totam Romanam“ i. e. „Graecis intactam“ (Hor. l. l.) Ennius invenit, et in qua „Lucilius primus insignem laudem adeptus est“, etiam aliud genus ejusdem nominis, sed formae diversae²⁾, ac quidem, quum „genus prius“ dicatur, jam ante Lucilium exstitisse. Hujus autem formae prioris quis alius sit auctor, quam Ennius, ne minima quidem cum certitudine dici potest, quapropter Casaubonus³⁾ quoque de hac quaestione recte ita disputat: „Nimirum hoc voluit Fabius (Quintilianus), satiram, in qua Varro claruit, eam ipsam esse, quam vetusti scriptores, quorum facile princeps Ennius, illustraverant; hoc interesse tantum, quod illi sola metrorum varietate poemata sua satirica condiderant, Terentius vero etiam prosam satirae suae miscuerat“.

¹⁾ Nomen „auctoris“ ad nom. propr. „Lucilii“ referendum esse, false putant Heindorfius, C. Fr. Hermannus („De satirae Rom. auctore ex sentent. Horat. Serm. I. 10, 66“; Marb. 1841), alii, quum ex praeceptis logicorum hoc loco Lucilius cum semet ipso comparari non possit, ut recte monet Nippe-dejus (in program. de locis quibusdam Horatii etc., Jenae 1858): „Non potest dici, Lucilium se ipso limatiorem esse; nemo enim se ipse superare potest, nisi ita, ut quibusdam sui partibus melior esse, quam reliquis dicatur“. — Deinde etiam verba inde a „sed ille“ nullo modo cum Lucilii ingenio conveniunt.

²⁾ Nam: „genus non sola carminum varietate mixtum“, quod Varro demum pedestris sermonis partibus interjectis ad eam formae libertatem evexit, quam et ipsius carminum reliquiae et Senecae Petronique libri redolent.

³⁾ Casaub. de satyrica Graecorum poesi etc. lib. II. c. 2, pg. 199.

Auctores igitur praestantissimi gravissimique, quibus fides aliquanto major, quam recentiorum criticorum incertis conjecturis tribuenda est¹⁾, Romanis et inventionem et cultum satirae vindicarunt. Nihil tamen secius omnibus fere temporibus fuerunt, qui, fortasse illo Horatiano de Art. poet. 220 sqq. freti²⁾, hanc laudem iis abrogarent, quum ipsa nominum similitudine inter satiram et satyros intercedente decepti in rerum discrimine recte faciendo non satis cauti fuerint. Quae quum ita sint, de satira Romana denuo commentari operae pretium esse nobis videtur. Ac, quum alii Romanorum satiram ex satyricis Graecorum profectam esse sentiant, alii vero, idque optimo jure, eam Romanis propriam esse contendant, commentationem nostram ita instituamus, ut in parte priore, paucis de nominum „satirae“ et „satyricae“ derivatione et significatione in universum praemissis, naturam et formam satirae Romanae describamus; in altera deinde parte commentationis, quae similia poesis genera apud Graecos exculta sint, conferamus. Qua ex comparatione illi, qui Heinsii ejusque sociorum sententiam probant, quantopere fallantur, satis intelligant.

Disputemus igitur primum de satirae nomine. Casaubonus, qui unus omnium de poesi satyrica quam accuratissime (duobus libris) scripsit, Diomede auctore (pg 483. ed. Putsch.) „satura“ sive „satira“, non vero „satyra“ scribendum esse utique contendit, „quum hoc totum scriptionis genus mere Latinum sit, nec quidquam commercii cum poesi satyrica Graecorum habeat; satiram enim non a satyris, sed, quod (satira) carmina multa simul et poemata comprehendat, a „lance satura“, quae, variis frugibus referta, dicebatur, nomen accepisse“. — Dan. Heinsius contra, quem multi secuti sunt, in libr. I. de satira Horatiana, hujus vocabuli scriptionem, quae per y fit, defendit: „quippe quod (vocabulum) satis commoda ratione a Satyris deduci possit“.

Si jam quaestionem hanc controversam accuratius perpendimus, Casaubonum omnesque, qui eum secuti sint, nominis potius vim et etymologiam, quam carminis naturam respexisse, Dan. Heinsium vero ejusque socios similitudini vocabulorum „satirae“ et „satyri“ nimium tribuisse facile intelligemus. Nam sine ullo jure Casaubonus omnem nexum et cognationem externam vocabulorum „σατύρον“ et „saturae“ (satirae) negavit, quum luce clarius sit, vocabula Latina „satum“ (supin. de sero), „satura“, non solum inter se conjuncta esse, sed etiam cum verbo Graeco ἄω, aeol. σάω, i. e. satiare, cohaerere. Vocabulum enim „satirae“ (gen. fem. nom. adject. „satur“), ex eodem fonte ac Graecum σατύρον, vel fortasse ex ipsa hujus nominis stirpe (ΣΑ) manasse nobis videtur. Latinum quidem adverbium „sat, satis“ reperies, verbum autem, quod ejus stirpem (SA) praebeat, non invenitur, quamquam haud displicet, supinum „satum“ (verbi „sero“) ad verbum quoddam so - sare referre, sicuti, supino „datum“ verbum do - dare re vera suppositum est. Sed quum sola suspicione argumentari non possimus, ut res ad liquidum perducatur, ad linguarum comparationem delegamur. — In lingua Graeca, cujus soror lingua Latina est, verbum reperitur σάω, dialecti

¹⁾ cf. Wielandii „Anmerkungen zu Hor. Satir.“ Tom. I. pg. 304.

²⁾ De hoc loco infra, ubi de similibus poesis generibus, a Graecis excultis, sermo erit, accuratius disputabitur.

Laconicae, quod jam Paldamus ¹⁾ alique in vocabulo satirae deducendo respexerunt. Hoc jam verbum suspicantes nos facit verbum $\acute{\alpha}\omega$ dialecti Atticae; sed verbum dumtaxat $\acute{\alpha}\omega$ (i. e. satiari, plenum esse alicujus rei) reperitur. Quae quum ita sint, dialectum Jonicam illud verbum conservasse et, spiritu aspero amisso, quae est natura et indoles dialecti Jonicae, dialecto Atticae tradidisse putandum est²⁾. Nomen $\sigma\alpha\tau\acute{\upsilon}\rho\omicron\upsilon$, de quo agimus, quoad formationem hoc modo dividendum est: $\sigma\alpha$ (radix) - τ (confirmans) - $\upsilon\rho\omicron\varsigma$ (suffixum). Hoc suffixum $\upsilon\rho\omicron\varsigma$, sicut terminationes Latinae ax et ox , plenitudinem ejus notionis, quae radici inest, significat, id quod lingua Sanscrita permultis formationibus comprobatur. T confirmans et suffixum $\upsilon\rho\omicron(\varsigma)$ vel antiquius $\upsilon\rho$ reperies in $\mu\acute{\alpha}\rho\tau\upsilon\rho$, quod nomen dividendum est in $\mu\acute{\alpha}\rho$ - τ - $\upsilon\rho$; significat vero: „libenter moriens“. Radix Sanscrit. est $m\ddot{r}$ vel mar (lat. *mori*), unde $\beta\rho\omicron\tau\acute{\omicron}\varsigma$ vel $\mu\rho\omicron\tau\acute{\omicron}\varsigma$ - mortuus - enascitur. Simili modo, ut jam supra dictum est, nomen $\sigma\alpha\tau\acute{\upsilon}\rho\omicron\upsilon$, a verbo $\sigma\acute{\alpha}\omega$ deducendum, in $\sigma\alpha$ - τ - $\upsilon\rho\omicron\varsigma$ dividendum est, ita ut inde significatio jam eluceat: „saturitatis amantem“, sive: „omnis saturitatis vel abundantiae plenum esse³⁾“. Quae significatio plenitudinis, abundantiae ad „saturam lancem“ ad „sat, satis“ et ad omnes formationes, quae Latine hac ex stirpe (SA) prodierunt, convenit.

Sed quamvis illud nomen originis Graecae sit, Latine tamen „satura“ vel „satira“ rectius scribitur et pronuntiatur, quam „satyra“, quum veteres Romani litteram Graecam v ut breve Gallorum u , et hoc iterum aetatibus, aurea et argentea quae vocantur, ut i et scriberent et pronuntiarent, id quod in multis codd. M. SS. reperies ⁴⁾. Hoc jam nomen, olim adjectivi vim obtinens, paulatim, ut multa alia hujusmodi, ad substantivi dignitatem evectum est.

In nomine igitur derivando non possumus, quin cum Heinsio ejusque sociis consentiamus, Casaubono autem contradicamus. Si vero notionem ac vim, quas Romani cum nomine „satirae“ conjungebant, respiciemus, non dubitabimus, illorum virorum opinionem, satiram Romanam aut a satyris aut a dramate satyrico Graecorum repetendam esse, falsam refutare, Casauboni contra sententiam, eam ab antiqua illa „satura lance“ deducendam esse, probabilem esse profiteri. Sed hanc nostram opinionem infra demum, in disputatione de satyricis Graecis instituenda, probare studebimus. Nunc potius, ut idoneam cognoscamus definitionem, ad naturam et formam exponendas transeamus. Quod consilium ut quam accuratissime exsequamur, historiam satirae Romanae ad hasce tres periodos revocamus:

I. Periodus satirae scenicae (dramaticae).

II. Periodus satirae didacticae (sive Ennianae sive Lucilianae).

III. Periodus satirae maledicae (quae profecta est ex satira Luciliana).

¹⁾ „Ueber Ursprung und Begriff der Satire“, pg. 1. sqq. cf. Gerlach, proleg. ad Lucil. XCI.

²⁾ Haec sententia comprobatur per $\acute{\alpha}\delta\eta\nu$, Attic. $\acute{\epsilon}\delta\eta\nu$, Homer $\acute{\epsilon}\acute{\alpha}\delta\eta\nu$.

³⁾ Sine dubio satellites Bacchi hilares et vinolenti „ $\sigma\alpha\tau\upsilon\rho\omicron\iota$ “ vocabantur, quia vini et facundiae semper pleni erant.

⁴⁾ Casaubonus de satyrica Graecorum poesi etc. lib. II. c. 4, pg. 250: „Sicut nihil differunt maximus et maximum, optimum et optimus, citumus et citimus, supare et sipare, genuculare et geniculare, et similia multa; nisi quod prolatio per u vetustioris est Latinitatis: ita inter satura et satira non aliud discrimen statuendum est, quam aetatum“.

Periodus I. (Satira scenica).

Ut omnes priscae gentes, sic etiam Romani, pro natura hilara iis insita et innata, quae jucunda coeli temperatione laetaque soli conditione summopere alebatur, in festis vetustissimis iisdemque laetissimis, qui post messem et vindemiam in honorem Deorum ruralium, Cereris potissimum et Bacchi, agebantur, corpora fessa et ipsos animos omni laetitiae genere recreare solebant. Agricolaе enim Romani non modo Diis gratias ferebant, verum etiam versibus inconditis, amoebaeis et extemporalibus (*αὐτοσχεδίους ῥήματα*) temere ac sine arte compositis, sed diceriorum plenis inter se concertabant; unde Horatio teste ¹⁾, versus Fescenniani et Saturnii originem traxerunt. Quibus de versibus Duentzerus ²⁾, vir doctissimus, hoc statuit, ut Romani, antequam Livius Andronicus fabulas, e Graeco in Latinum versas, ederet, antiquissima quaeque poesis monumenta, qualia debebant ludis rusticis supra dictis, versus Saturnios vel Fescennianos appellaverint, quippe in priore nomine nihil nisi antiquitatem spectantes; in altero lasciviam et petulantiam, quae iis versibus inerant. Nam ut apud Graecos „*Κρόνια*“ in universum antiqua, ita apud Romanos „Saturnia“ antiquissima quaeque vocata esse. Hanc sententiam ut probem, quum a compluribus veterum scriptoribus firmari videatur, inclinatur animus. Ennius enim describit versus Saturnios, quos

„Olim Fauni vatesque canebant,
„Quum neque Musarum scopulos quisquam superarat,
„Nec dicti studiosus erat“.

Festus pg. 325, ed. O. Muellerus: „Versus quoque antiquissimi, quibus Faunus fata cecinisse hominibus videtur, Saturnii appellantur.“

Servius ad Virgil. Georg. II. 385: „Versibus incomtis, i. e. carminibus Saturnio metro compositis, quod ad rhythmum solum vulgares componere consueverant“.

Persius Sat. II. 59:

„Aurum vasa Numae Saturniaque impulit aera“.

Idem Duentzerus grammaticus versus Saturnii formam omnibus syllabarum quantitatis et positionis legibus solvendam esse censuit; cui quidem opinioni O. Muellerus ³⁾ repugnat et formam ab antiquis poetis traditam:

$\bar{u} \quad \bar{u} \quad \bar{u} \quad \bar{u} \quad \bar{u} \quad \bar{u} \quad \bar{u} \quad | \quad \bar{u} \quad \bar{u} \quad \bar{u} \quad \bar{u} \quad \bar{u} \quad \bar{u}$ ⁴⁾

¹⁾ Hor. Ep. II. 1. 159 — 166.

²⁾ H. Duentzerus et Laur. Lerschius: „De versu, quem vocant Saturnio“. Bonn. 1838.

³⁾ Supplem. adnot. ad Festum, pg. 396.

⁴⁾ Versus Ithyph, dupl. pos. cum anacr. — Hos versus Naevianos (ap. Gell. N. A. I. 24) metro Saturnio exempla adjungimus:

„Mortalis immortalis flere si foret fas,
„Flerent divae Camenae Naevium poetam:
„Itaque, postquam est Orcino traditus thesauro,
„Obliti sunt Romae loquier latina“.

„plane justam“ nominat: „modo unum observandum ac tenendum esse, supprimi posse theses omnes, excepta ultima, maxime penultimam“. — Sed Duentzeri iudicium propius, quam Muelleri ad veritatem accedere putamus, quum poetae antiquiores ad solum rhythmum versus Saturnios composuisse, seriores autem, Livium Andronicum et Naevium, legem, quam metrici jubent, observasse probabilius sit. Illi enim versus, ex festivitate et dura ac veluti agresti hilaritate profecti, nil nisi dicteria erant salsa et ridicula, nulla alia ratione, nisi qua petulantia et acumen rusticum ea suggererant, inter se conjuncta, quibus agricolae joci et delectandi causa temere se invicem excipiebant¹⁾. Sermonem eorum rhythmum haud plane fuisse expertum, Virgilius Georg. II. 385 sq. testatur:

„Nec non Ausonii, Troja gens missa, coloni
„Versibus in comitis ludunt risuque soluto“.

Omnia igitur, quae adhuc de natura et forma versuum Saturniorum et Fescennianorum disputavimus, passim a scriptoribus memorantur. Monumenta vero scripta, quibus ea comprobari possint, frustra petes, quum illi, omnes extemporales, posteris tradi non possent. Attamen convicia, quae in scenis singulis comoediarum Plautinarum, in idylliis IV. et V. Theocriteis, in idyllio III. Virgiliano reperies; denique pugna scurrarum ap. Horat. Sat. I. 5, 51 sqq. imaginem etiamsi mancam fortasse nobis praebebunt. — Usus horum versuum apud Romanos tum in festis diebus, tum in aliis solemnibus, nuptiarum praecipue et triumphorum, diu viguit,

„donec jam saevus apertam
„In rabiem verti coepit jocus et per honestas
„Ire domos impune minax. Doluere cruento
„Dente lacessiti: fuit intactis quoque cura
„Conditione super communi: quin etiam lex²⁾
„Poenaque lata, malo quae nollet carmine quemquam
„Describi“ (Hor. Ep. II. 1, 146 sqq.).

Quomodo versus Saturnii et Fescenniani paulatim ad dramatis naturam accesserint, egregie docet Livius VII. 2, cujus verba ex parte apponere nobis liceat. Postquam enim hic scriptor tempore pestilentiae ad coelestem iram placandam ludiones (histriones) ex Etruria arcessitos esse breviter narravit, ita pergit: „Imitari deinde eos juvenus, simul inconditis inter se jocularia fundentes versibus coepere: nec absoni a voce motus erant“. — Hi jam versus, quod „inconditi“ vocantur, sine dubio Saturnii et Fescenniani habendi sunt, qui tamen, quum „motus a voce absoni non essent“, quodammodo, sive metro accuratius

¹⁾ Schol. ad Horat. Ep. II. 1, 145: „Fescenniana, jocularia carmina et probrosa, dicta ab oppido Fescemino . . .“ Hoc loco etiam commemorantur carmina, quibus milites imperatores triumphantes illudere solebant, de quibus Liv. III. 29; IV. 20, 53; V. 49; X. 30 conferatur. — Carmina hujusmodi reperies apud Suet. Caes. c. 49, 51; cf. Gell. N. A. XV. 4; Spart. Hadr. 15.

²⁾ Haec est lex XII. tabularum, ac quidem tabulae septimae: „Si qui pipulo occentatit carmenve condidit, quod infamiam faxit flagitiumve alteri, fuste ferito“. — cf. etiam Euanthius de Trag. et Com., ed. Lindenbroch, pg. 45.

observato, sive actione aliqua adjuncta, jam expoliti erant, et tum demum, quum histriones „non sicut ante, versu Fescenniano similem incompositum temere ac rudem alternis jacerent, sed impletas modis saturas descripto jam ad tibicinem cantu motuque congruente peragerent“ (Liv. I. c.), sublatis sunt.

Jam quaeritur, quoniam fuerit harum satirarum ratio. Respiciamus igitur primum earum formam. — Satiras illas arte quadam ornatas fuisse, Livius ipse docet, quum enarret, „artifices (vernaculos)“ eas peregrisse, id quod rebus peragendis artem quandam infuisse indicat. Sed quum dictio „impletas modis“ de numeris sive rhythmo satirarum intelligenda sit, cave ita fallaris, ut eas justis ex versibus, certae metrorum legi consentientibus, compositas fuisse putes. Nam primum numerus versuum Fescennianorum i. e. num. Saturnius, quum priscis temporibus eum solum, neque ullum alium, ad omnia carminum genera adhibitum esse a scriptoribus acceperimus, his quoque satiris recte attribui potest. Deinde etiam cantum ad tibiae sonos descriptum motumque congruentem istis satiris adjunctum fuisse, a Livio docemur; unde numerum ad cantum motumve se totum accommodasse luce clarius apparet. — Quoniam vero harum satirarum natura fuerit, primum ex ipsa vocabuli notione, quam varietatem et copiam rerum significare jam supra statuimus, colligi potest; quare in iis multas et varias res tractatas esse, non solum ex ratione, qua satirae ex illis alternis versibus petulantibus profectae sunt, sed etiam ex his Livii ¹⁾ verbis: „postquam lege fabularum a risu ac soluto joco res avocabatur“, et Euanthii ²⁾: „haec, quae satira dicitur, ejusmodi fuit, ut in ea, quamvis duro ac veluti agresti joco, de vitiis civium tamen sine ullo proprii nominis titulo carmen esset“, clarissime patet.

Quae satirae scenicae Romanis rusticis, quum et risu soluto jocisque inconditis animos exhilararent et, quantum in tanta morum asperitate fieri potuit, de rebus bonis et malis, de vita et moribus disputarent, et hominum commodis atque utilitati servirent, ita probatae erant, ut nullum aliud poesis genus coli paterentur. Sed quum Livius Andronicus primus Graecas docuisset fabulas, ludosque inconditos in artem vertisset, juvenus Romana, ne patrium ludicrum periret, „histrionibus fabellarum actu relicto“ (Liv.), iterum ad antiquum institutum rediit: „ipsaque inter se more antiquo ridicula intexta versibus jactitare coepit; unde exodia postea appellata sunt, consertaque fabellis potissimum Atellanis ³⁾“. Quas Atellanas nostrae commentationi alienas ut silentio omittamus, statim ad exodia illa perscrutanda transeamus.

Qualis hujus generis satirarum natura et indoles fuerint, e Livii verbis: „antiquo more ridicula intexta versibus“ clarissime apparet; quare iis eadem et sententiarum et numerorum ratio, quae satiris supra descriptis inerat, attribuenda est. Nomen ipsum a Graecis profectum est, quod Latine per vocem „exitus“ vertendum est. Hoc sensu proprio exodium nihil aliud

¹⁾ Liv. VII. 2. § 11.

²⁾ Euanthius, de Trag. et Com., ed. Lindenbroch. pg. 45.

³⁾ (Liv. VII. 2). — Valer. Max. II. 4. 4.: „Ludi Atellani ab Oscis acciti sunt: quod genus delectationis Italica severitate temperatum, ideoque vacuum nota fuit“. — cf. etiam Cic. epist. ad Famil. VII. 1. — Sueton. vit. Neron. ep. XXXIX. — Tacit. Annal. IV. ep. 14.

est, nisi ludus, qui alium sequitur. More Graeco haec exodia locum post tragoedias peragendas aptissimum tenebant. Nam, ut Scholiastae ad Juvenal. Sat. III. 175 verbis utamur, „exodiarius apud veteres in fine ludorum intrabat, quod ridiculus foret: ut quidquid lacrimarum atque tristitiae coegissent, ex tragicis affectibus hujus spectacula risu detergeret¹⁾“. Cui Scholiastae quin fidem habeamus, Livius non vetat, quum „exodia fabellis potissimum Atellanis conserta fuisse“ expresse dicat. Neque causae desunt, ex quibus exodia cum Atellanis commode conjungi potuisse, intelligendum est. Atellanae enim erant fabellae argumenti brevioris, quapropter iis illa exodia sine dubio Atellanis non longiora, accommodissime adjungi poterant. Altera causa, cur exodia cum Atellanis conjungebantur, ex Livii verbis erui potest, quibus utrumque genus ludorum a juvenibus Romanis peractum esse narratur, quam ob rem iterum hi ludi, quos iidem faciebant actores (Romani liberi), commode conjungi poterant, ita tamen, ut non confunderentur, sed utrumque genus suam ipsius naturam retineret: exodium fortasse fuit canticum ridiculum²⁾.

Quaeritur denique, quomodo exodia fabellis Atellanis conserta, utrum singulorum diverbiorum fini, an semel extremae fabulae adjuncta fuerint. Hac de quaestione viri docti jam multum inter se concertarunt, sed, quum ne unum quidem scriptorum testimonium afferri possit, quo ea ad liquidum perducatur, missam faciamus, et potius ad alterum genus satirae didacticae, quam supra diximus, perscrutandum transeamus, cujus princeps Ennius est.

Periodus II.

(Satira didactica).

Natura satirae didacticae ex ipsa satirae origine (Liv. VII. 2) optime patet. Nam quum de certo argumento non ageretur, sermones ex vita vulgari petebantur, aequales, quorum mores non placerent, perstringebantur et, quum mores mala castigando non magis, quam bona laudando emendarentur, etiam ii, qui laude digni esse viderentur, laudabantur. Cave igitur putes, a satira antiqua omnia aliena esse, quae non ad hominum mores perstringendos pertineant. Jam Ennium in satiris laudes Scipionis cecinisse, fragmentum quoddam, a Nonio ex lib. III. satirarum nobis traditum, testatur: „Testes sunt Latii campi, quos gerit Africa terras politos“, quae verba sine dubio ad Scipionem Africanum laudandum spectant. Et quemadmodum satirarum Ennianarum tituli „Hedypathetica“ et „Epicharmus“ ad luxuriam et philosophorum perversitatem referendi sunt, ita, quae aliae inscriptiones memorantur,

¹⁾ Juv. sat. VI. 71: „Urbicus exodio risum movet Atellanae
„Gestibus Autonoës“.

²⁾ Apud Sueton. in Galb. „Atellanum canticum“ haud dubie de exodio intelligendum est, quum in Atellanis aliud canticum fuisse a nullo scriptore doceamur.

„Praecepta“ et „Protreptica“, poetae consilium indicant plane diversum ab ea poesi, quae nunc quidem „satirica“ vocatur. — Sed quum in vituperationem magis inclinet animus humanus, quam in laudationem, minime mirum est, irisionem et dicacitatem in satiris mox praevaluisse, et Lucilio auctore consilium primum hoc fuisse, ut „vitia generaliter carpantur, universorum delicta corripiantur, pessimus quisque describatur, cujuslibet peccata moresque reprehendantur“¹⁾. Quod consilium poetae satirici ita exsecuti sunt, ut virtutis praestantiam raro argumentis et ratiocinationibus, ut morum doctores solent, sed vitiorum foeditate et turpitudine proponendis lectores, non severo praeceptoris vultu, sed ludo quodam amabili docerent, ejusque studium commendarent, morum stultitiam et vitae turpitudinem gravissime interdum, sed facetiis interspersis, notarent, improbos et nefarios omnium odio exponerent.

Vis igitur satirarum Ennianarum non tam irridendo et increpando, quam ludendo et monendo, imo etiam laudando exprimitur; vis contra Lucilianarum in maledicentia et dicacitate posita est, quibus vitia cujusvis generis et homines iis cantaminati nominatim perstringuntur; quapropter etiam nonnulli nomen „satirae“ non a „satura lance“, sed a „saturo“ deducendum esse facete putarunt, quod (vini) satur, i. e. ebrius, in convicia et crimina hominum libere ac mordaciter invadat²⁾.

Duplex autem genus satirarum Lucilianarum discernendum est: unum urbanum et jocosum, quod a vate Venusino maxime excultum est; alterum acre et severum, quo Lucilii, Juvenalis, Persii ira se armavit³⁾.

Natura et indole satirae et Ennianae et Lucilianae cognitae, etiam de forma aliquot disseremus. — Ex satiris ipsis vel ex earum fragmentis maximam iis inesse varietatem argumenti et, antiquissimis quidem, sermonis ac metrorum, clarissime apparet. In omnibus enim satiris antiquis usque ad Horatium diversa reperies metra, vel versus heroicos, vel trimetros jambicos, vel tetrametros jambicos et trochaicos — versus octonarios — quadratos⁴⁾. Lucilius quoque, qui „in satira primus insignem laudem adeptus est“, varia adhibuit metra, quum ex ejus satirarum reliquiis liqueat, non omnes earum libros metro heroico, verum etiam jambico et trochaico compositos esse. Horatius vero, Juvenalis, Persius, qui Lucilium secuti sunt, solo metro heroico usi sunt. — Quod deinde ad sermonem in universum attinet, satirarum principes antiqui sola metrorum varietate carmina sua condiderunt⁵⁾, Terentius Varro autem in iis sermonem poeticum cum pedestri, (Graecum cum Latino) miscuit, id quod ex

¹⁾ Isidor orig. VIII c. 7, pg. 1018, in corp. auct. Latin, ed. 1595. — Hoc ex consilio intelligas, cur Lucilius „novae satirae inventor“ dicatur.

²⁾ Isidorus: „... aut a saturis nomen saturae dictum, qui multa habent; vel ob ea, quae per vinolentiam dicunt, ut ebrii.“ — cf. illud Pindaricum: „Θαρσάλεα παρὰ κρητῆρι φρονά γίγνεται.“

³⁾ Lucilius, Horatius, Persius maxime perstringunt Romanos tum viventes; Juvenalis contra praecipue mortuos versibus contumeliosis lucerat. cf. ejus Sat. I. 170 sq.

⁴⁾ cf. Casaub. l. l. II. 2, pg. 193.

⁵⁾ Diomedes III, pg. 482: „Olim carmen, quod ex variis poematibus constabat, satira dicebatur, quale scripserunt Pacuvius et Ennius.“

his verbis Quintiliani (J. O. X. 1) intelligi potest: „Alterum illud, etiam prius satirae genus, quod non sola carminum, sed etiam orationis varietate mixtum condidit Terentius Varro, vir Romanorum eruditissimus“.

Natura et forma satirae Romanae expositis, haec venia nobis detur, ut definitionem Casauboni, qui ceterum de satira Romana describenda optime meritus est, mancam repro-
bemus. Quis enim non intelligit, hunc virum, quum (l. l. pg. 258.) satiram „scriptionem prosa versuque mixtam, qua varia argumenta tractentur“ adumbret, satiram Ennianam et Varronianam cum Luciliana temere confudisse et nominis potius vim et etymologiam, quam carminis naturam respexisse, quum illa definitio satiris quidem Ennianis et Varronianis, minime vero Lucilianis conveniat et satirae finis, qui ad ejus naturam cognoscendam multum affert, ne una quidem voce in ea memoretur. Rectius igitur satiram ita defines: „Satira est carmen, quod in primordiis, oratione aut mere poetica aut mixta et metris variis adhibitis, ad res diversas ex vita vulgari petitas et ad utilitatem communem, plerumque vero, facetiis interspersis, ad mores hominum emendandos spectabat; postero autem tempore, et oratione sola poetica et metro uno accuratius observatis, in vitia cujusvis generis et in homines, iis contaminatos, acerbe ac licenter invehebatur, quo homines vitiosi ad virtutem exercendam revocarentur“ — Quae descriptio totum genus satirarum amplectitur et verbis Diomedis recta comprobatur: „Satira est carmen apud Romanos, nunc quidem maledicum, et ad carpenda hominum vitia archaearum comoediae caractere compositum, quale scripserunt Lucilius, Horatius et Persius. Sed olim carmen, quod ex variis poematibus constabat, satira dicebatur, quale scripserunt Pacuvius et Ennius“.

Jam restat, ut singulos poetas satirae et Ennianae et Lucilianae paucis recenseamus, ac quidem eo consilio, ut poetarum satiricorum veram indolem perspectam habeamus, et ea, quae de satirae natura et forma adhuc disputavimus, exemplis comprobemus.

Q. Ennius, qui „primus amoeno

„Detulit ex Helicone perenni fronde coronam

„per gentes Italas hominum, quae clara luceret“¹⁾,

non modo carminis Romanorum heroici poetarumque tragicorum, sed etiam Horatio teste²⁾, satiricorum parens est. Sed quum ejus carmina epica et tragica commentationi nostrae aliena sint, iis omissis, statim ad carmina satirica perscrutanda transeamus, quorum libri IV. a Porphyrione (ad Hor. Sat. I. 10. 46) laudantur, quorum vero librum VI^{tum} Donatus (ad Terent. Phorm. II. 2, 25) memorat, nisi librorum error IV in VI mutaverit. Harum satirarum singularum, quas singuli libri comprehendisse videntur, quum a scriptoribus hi plerumque, non illae, memorentur, qualis fuerit natura propria et singularis, ex perpaucis earum fragmentis, quae supersunt, non satis intelligi potest; attamen illarum universa et generalis ratio ex iisdem majore minoreve cum certitudine fortasse apparet. Reliquiae enim satirarum, quas ex Gellio II. 29; XVIII. 2; ex Servio ad Virgil. Aen. XII. 121; ex Nonio

¹⁾ Lucretius l. 118 sqq.

²⁾ Hor. Sat. I. 10, 66.

sub. vocc. „obstringillare“, „politiones“, „criminat“, ex aliis grammaticis collegerunt Columna, Merula, Casaubonus, nos satis edocent, satiras Ennianas res varias¹⁾, graves, serias, jocularis, scurriles, nec non acerbas esse complexas, quibus bona consilia, utilia praecepta hominibus dantur, interdum etiam hominum vitia perstringuntur, hominesque ipsos ad virtutem exercendam revocantur. Etiam laudes (Scipionis) satiras Ennianas continuisse, optime conjicit Gerlachius²⁾, cujus sententiam jam supra laudavimus. Omnino poeta non tam τὸ ἐλεγκτικόν, τὸ διασύρειν, τὸ γελοιάζειν sibi proposuisse, quam de variis rebus, ad communem utilitatem spectantibus et interdum forsitan de stultitia et improbitate hominum, dramatica saepe ratione seu dialogi forma adhibita, egisse, hominesque vitiosos etiam risisse videtur. Quod quidem postremum consilium neque proprie secutum esse Ennium, neque satiras ejus inde nomen accepisse, Diomedes grammaticus (l. l. III. pg. 482) hisce verbis testatur: „Olim carmen, quod ex variis poematibus constabat, satira vocabatur, quale scripserunt Pacuvius et Ennius“.

Sed non solum rerum, verum etiam metrorum varietatem in satiris Ennianis reperies. Ex iis enim, quae supersunt, fragmentis, Ennium non solum in satirarum libris diversis, verum etiam in eodem libro metra diversa, hexametros heroicis³⁾, trimetros jambicos, quadratos, alios inter se sine ullo ordine et lege miscuisse, intelligi potest.

Sermo Ennianus gravis quidem, sed altius non assurgens et saepenumero parum accuratus est, quamquam „non discedit a more communi verborum⁴⁾“. Linguam Latinam plurimis nominibus, ex lingua Graeca et dialectis Italicis petitis, ditasse Ennium, Horatius Ep. II 3. 56 sqq. testatur:

„..... Cum lingua Catonis et Enni

„Sermonem patrium ditaverit et nova rerum

„Nomina protulerit“.

Ciceronem ipsum ex verborum et locutionum magno thesauro Enniano hausisse, Seneca (ap. Gell. N. A. XII 2.) hisce verbis affirmat: „Apud ipsum quoque Ciceronem invenies etiam prosa oratione quaedam, ex quibus intelligas, illum non perdidisse operam, quod Ennium legit“. — Ennium secutus est

Pacuvius, cujus satirae, quum ne fragmenta quidem nobis tradita sint, caligine quadam premuntur; sed eas Ennianis simillimas fuisse, ex Diomedis jam laudato testimonio: „..... quale scripserunt Pacuvius et Ennius“, intelligi potest. Itaque de his fere idem, quod de Ennianis, fortasse dicendum est, quapropter eas silentio omittamus.

Cum satira Enniana cognata est Varroniana non tam forma, quam varietate rerum, de quibus in iis agitur.

¹⁾ Quintil. J. O. IX. 2. 36: „... sed formas quoque fingimus saepe, ut famam Virgilius, ut voluptatem et virtutem, ut mortem ac vitam, quas contententes in satira tradit Ennius“.

²⁾ Gerlach. proleg. ad Lucil. pg. CII.

³⁾ Hexametri Enniani, sive versus, quos ipse „longos“ (Atil. Fortun. II. 8. 2) appellavit, neque majestatem et elegantiam hexametri Virgiliani, neque levitatem et concinnitatem Ovidiani habent. — cf. Ovid. Trist. II. 424.

⁴⁾ Cic. orat. 11.

M. T. Varro enim non, ut Ennius, oratione ligata sola, sed ligata simul ac soluta adhibita, satiras conscripsit, adeoque novum satirae genus condidit. Quam sermonis varietatem fragmenta testantur, docetque Quintilianus J. O. X. 1 95: „Alterum . . . satirae genus, sed non sola carminum (sc. sed etiam sermonis) varietate mixtum condidit M. T. Varro“. Jam quaeritur, quonam auctore hoc novum genus condiderit. Cicero eum in satiris conscribendis Menippum Gadaranum, philosophum Cynicum, qui „σπουδογελοῖα¹⁾“ olim inter Graecos floruit, imitatum esse affirmat, quum eum in Academicarum libro I. 2 haec dicentem faciat: „Et tamen in illis veteribus nostris, quae, Menippum imitati non interpretati quadam hilaritate conspersimus, multa admixta ex intima philosophia, multa dicta dialectice: quae, quo facilius minus docti intelligerent, jucunditate quadam ad legendum invitati, in his ipsis antiquitatum prooemiis philosophice scribere voluimus, si modo consecuti sumus“. — Quibus ex verbis momenta philosophica satirarum Varronianarum maxime ex fontibus Graecis manasse, rationem vero dicendi plane vernaculam esse intelligere poteris. — Etiam Gellius N. A. II. 18. § 7. de illa imitatione hoc testimonium perhibet: „ ille Menippus, cujus libros M. Varro in satiris aemulatus est: quas alii Cynicas, ipse appellat Menippeas“. Quae appellatio posterior, apud grammaticos frequens, viros nonnullos, historiae minus peritos, Varronem Menippi fuisse familiarem sive discipulum putantes fecit: quos jam Probus (ad Virg. Eclog. VI. v. 31) hisce verbis refellit: „Varro Menippeus non a magistro, cujus aetas longe praecesserat, nominatus, sed a societate ingenii, quod is quoque omnigeno carmine satiras suas expoliverat“. Sed Probus, illorum errorem refutans, ipse multo gravius peccat, quum etiam Menippum satiras scripsisse, easque pari varietate carminis condidisse putet. In inscriptionibus enim libellorum Menippeorum, quas apud Athenaeum et Diogenem reperies, nulla profecto satira enumeratur. Praeterea etiam Menippus non carmina, ab ipso composita, sed aliena, ex poetis notissimis, Homero potissimum atque Euripide, petita scriptis suis inseruerat; quam ob rem nemo unquam veterum inter poetas eum numeravit. Varro contra carminibus, quae ipse composuerat, satiras conspersit, quas hanc ob causam Cicero (Acad. quaest. I. 3) „poemata“, eaque „varia et elegantia“ vocat. Sed jam quaeritur, cur satirae Varronis „Menippeae“ dicantur. Hanc quaestionem nobis respondeat Casaubonus (l. I. pg. 208): „Menippeae a Varrone dictae sunt satirae suae, non quia prosam cum versu eodem modo miscuerunt, sed propter simile quoddam jucunditatis temperamentum, in materia non dissimili: ut non abs re utrumque hunc auctorem σπουδογελοῖον, et scripta amborum philosophiam ludentem sit aliquis nuncupaturus²⁾“.

Sed haec hactenus. Inspiciamus nunc propius naturam et indolem satirae Varronianae. — Ex fragmentis, quae supersunt, Varronem res, non solum ex litteris, sed etiam ex vita vulgari petitas, salse et interdum acerbe descripsisse apparet: inprimis philosophos

¹⁾ Strabo VII. 99: „Τὰ δὲ βιβλία αὐτοῦ πολλοῦ καταγέλωτος γέμει.“
²⁾ cf. Alex. Riese: „Ueber die Doppeltitel Varronischer Satiren“ (In symbolis philol. Bonnens. etc. fasc. poster. — Lips. ap. Teubner 1860).

Graecos¹⁾, Academicos, Epicuræos, Stoicos, qui Varronis aetate Romam confluxerunt, eorumque dogmata perstrinxit. Nam quum Varro cives suos litteris philosophicis justis ac veris, quarum incrementa in Latio nondum valida erant, neque a multis fovebantur, initiaturus esset, hoc ita exsequi studuit, ut singularum sectarum singula placita examinaret, eaque non sine cavillatione illustraret simul et facete perstringeret. Neque haec ratio falsa: quum ad rudiora ingenia studiis liberalioribus concilianda et ad rerum gravissimarum cognitionem tamquam praeparanda nihil aptius esse posset.

Sed quemadmodum philosophos vel potius eorum dogmata ridicula et perversa facitiis salsis semper petebat, ita „canae Veritatis, Atticae Philosophiae alumnae²⁾“ vindicem aequum ubique se praebet, ejusque studium utile hisce verbis ipse (*περὶ Ἐδεσμάτων* frag. 1. et 2.) probat: „Si, quantum operae sumpsisti, ut tuus pistor bonum faceret panem, ejus duodecimam philosophiae dedisses, ipse bonus jam pridem esses factus“. Veram igitur philosophiam ad vitae utilitatem pertinentem, a perversitatibus et ineptiis philosophorum defendere, eamque sinceram, non gravi aut difficili, sed lepido festivoque eloquio usus, animis civium etiam minus eruditorum injicere studuit.

Sed non solum de philosophia, sed etiam de mythologia³⁾, historia⁴⁾, grammatica⁵⁾, poetica⁶⁾, ritu sacrorum⁷⁾, omnino de omnibus rebus, ex quarum cognitione cives utilitatem aliquam percepturos esse putabat, Varro in satiris egit. Itaque etiam vitia vitae vulgaris acerbissime castigavit: ac quidem nulla vitia acrlus, quam avaritiam⁸⁾ et luxuriam⁹⁾, quae tunc temporis in diem magis magisque per totam rempublicam grassari, eamque, prisca morum simplicitate et severitate sublata, turbare et conquassare coeperunt, Varro insectatus est. — Attamen Varro, quantumvis in vituperationibus et conviciis versatus sit, etiam laudationes, quas satiris Ennianis proprias esse supra diximus, satiris suis immiscuit, quae sententia comprobatur satira „Parmenio“ inscripta, ubi in fragm. 13. leges: „Dimittis acres pectore curas cantu castaque poesi“, quibus verbis laudes Musarum eum dixisse optime conjicit Casaubonus; et satira „*περὶ μέθης*“ inscripta, ubi in fragm. 6. Varro vinum hisce verbis canit:

„Vino nihil jucundius quisquam bibit,
 „Hoc aegritudinem ad medendam invenerunt,
 „Hoc hilaritatis dulce seminarium,
 „Hoc continet coagulum convivia“.

¹⁾ cf. Eumenid. fragm. 22. et 30; satira „*περὶ ἐξαγωγῆς*“ inscript.

²⁾ Eumenid. fragm. 29.

³⁾ cf. Sat. inscriptit: „Hercules Tuam Fidem, — *περὶ ἐξαγωγῆς*, — Marcipore, — Promethei Liberi“.

⁴⁾ *περὶ γεροντιοδιδασκάλου*, — *περὶ ἐξαγωγῆς*, — *τοῦ πατρὸς τὸ παιδίον*, — *περὶ παιδοποιίας*, — Serrani, — *περὶ Ἀρχαιρεσιῶν*.

⁵⁾ fragm. Pappi aut indigenae; Parmen. fragm. 15.

⁶⁾ Bimarci fragm. 25., Parmen. fragm. 14.

⁷⁾ *Ἐποκύνων*, — *περὶ κερανοῦ*, — *περὶ θεῶν ἀναγνώσεως*, — Pseudolus Apollo, — Sexagesis.

⁸⁾ *ἀνθρωπόπολις*, — *περὶ γενεθλιακῆς*, — *περὶ φιλαργυρίας*.

⁹⁾ *Ἀμμὸν μετρεῖς*, — *περὶ μέθης*. — cf. Gell. N. A. VII. 16.

Alia exempla laudationum, quorum numerus haud perparvus est, afferre longius est, praesertim quum memorata ad sententiam nostram comprobendam jam sufficient.

Si ea, quae adhuc de natura satirae Varronianae disputavimus, paucis concipimus, apparebit, Varronem id secutum esse, ut civium animos a pravis et perversis studiis, quibus se tradiderant, avocaret et ad veram vitae rationem et illam morum severitatem, qua sola respublica servari posset, revocaret, ita ut ejus satiras finem secutas esse moralem, optimo jure contendere possit.

De natura harum satirarum hactenus. Jam restat, ut, priusquam quaestioni Varronianae finem imponamus, de metris versuum, quos orationi pedestri intexuit, pauca dicamus. Quorum varietas magna fuisse videtur, quum praeter trimetros jambicos, quibus Varro saepenumero usus est, etiam scazontes, choliambi, tetrametri trochaici, dimetri et tetrametri anapaestici, versus heroici, metra elegiaca reperiantur; praeterea fortasse etiam alia metra reperies.

Varronem complures imitati sunt poetae, quos, etsi in historia satirae non magnam sibi compararunt celebritatem, tamen paucis recensebimus.

Julianus Apostata imperator (sermone Graeco adhibito) in libello, „Caesares¹⁾“ inscripto, priores omnes imperatores perstrinxit; tum in satira, cui „*Μισοπάγων*“ (i. e. barbae osor) titulus est, mores et vitam Antiochiensium, quibus propter barbae amorem et cultum ludibrio erat, quam acerbissime castigavit. Utrumque Juliani opusculum, carminibus oratione pedestri interjecta, Menippeum aliquid redolet. — Secundum locum tenet

L. Annaeus Seneca, qui in satira lepidissima, „*ἀποκολοκύντωσις*“ inscripta, Claudium Caesarem mortuum, quippe qui cucurbita venenata periisse putaretur, non inter Deos, sed inter cucurbitas relatum esse confinxit²⁾. Itaque Seneca libellum suum neque satiram, neque *ἀποθέωσιν*, sed *ἀποκολοκύντωσιν*³⁾ facete inscripsit. Sed quum hoc opusculum in unam certam personam vel rem compositum sit, lyrico potius generi poesis, quam satirae Varronianae, quippe quacum non indole, sed forma sola sit cognata, adnumerandum est. — Eodem fere tempore

T. Petronius Arbitr⁴⁾ libros suos „Satiricon“ composuit, quorum permagna fragmenta supersunt. Ex quibus poetam amores Encolpii cujusdam libertini, narrando mores corruptos suae aetatis, avaritiam praecipue, luxuriam, superbiam, alia vitia, discordias bellaque civilia procreantia, acerbissime castigasse apparet. Quod Petronii opus „Satiricon“ parvis epigrammatis satiricis, magno quodam carmine epico de bello civili, descriptione faceta

¹⁾ In codicibus antiquis non „Caesares“, sed „Symposium“ inscribitur.

²⁾ cf. Juvenal. Sat. VI. 620 sqq.

³⁾ Derivand. a *κολύνθη*, att. *κολύντη*, i. e. cucurbita, quacum homines inepti comparari solebant.

⁴⁾ Cave putes, hunc Petronium eundem esse atque illum Petronium, qui Tacit. Annal. XVI. 18 memoretur.

convivii Trimalchionis divitis maxime excellit. Ceterum paucis quidem sed aptissimis verbis naturam „Satiricon“ Lipsius doctissimus describit, quum iis „puram impuritatem“ inesse dicat ¹⁾.

Marcianus Mineus Felix Capella conscripsit satirarum libros novem, quorum duo priores philologiae ἀποθέωσις, sive fabulam de nuptiis philologiae et Mercurii, reliqui vero septem, stilo horrido et sublimitatis affectatione deformes, artium liberalium quae dicuntur, grammaticae, dialecticae, rhetoricae, geometriae, arithmeticae, astronomiae, musicae laudes ac praecepta continent.

Anicius Manlius Torquatus Severinus Boethius, omnium suae aetatis poetarum princeps, a Theodorico rege in carcerem conjectus, libros quinque de consolatione philosophiae conscripsit, quibus gravissimos dolores sibi ipse, ut ita dicam, divinitus levavit. Forma enim dialogi et oratione partim pedestri, partim poetica adhibitis, in iis de benignitate providentiae divinae et de virtute sola beatifica agitur, ita ut hoc opusculum, tam, argumento, quam stilo praeclarissimum, propter formam, nequaquam vero propter argumentum inter satiras Varronianas recipiendum sit.

Postero tempore jam multi poetae satiras Varronianas composuerunt, quorum memoratu digni sunt:

P. Cunaeus, qui satiram Varronianam, „Sardes Venales“ inscriptam, in omnes, qui inepte eruditi erant, homines sibi aequales composuit, eosque, quaecumque sermone vernaculo scripserant, pueris ancillisque a lacu redeuntibus offerentes descripsit. — Simili modo

Justus Lipsius satiram conscripsit Varron. in criticos et poetas inertes, cui „Somnii“ nomen tribuit. Neque omittendus est

Dan. Heinsius, qui, orationem prosam cum carmine miscens, libellum edidit hoc titulo: „Hercules tuam fidem, sive Munsterus Hypobolimaeus, i. e. satira Menippea de vita, origine et moribus Casparis Scioppii“.

Praeterea a scriptoribus jam multi poetae satirici passim memorantur. Sed quum eorum fragmenta perparva ad naturam et formam satirae illustrandas minimum afferant, silentio eos omittamus, et potius ad tertium satirae genus describendum transeamus. Itaque illi satirici recensendi erunt, „a quibus generaliter vitia carpuntur, ut Flaccus, Persius, Juvenalis, alii ²⁾“.

¹⁾ Adjectivum („pura“) de Petronii stilo, substantivum vero („impuritas“) de argumento obsceno intelligendum est.

²⁾ Isidor. orig. VIII. cp. 7, pg. 1018. in corp. auct. Lat., ed. 1595.

Periodus III.

(Satira maledica).

C. Lucilius, eques Romanus, qui „in satira primus insignem laudem adeptus est¹⁾“ a compluribus scriptoribus²⁾ satirae inventor appellatur. Sed quaeritur, quonam jure hoc fieri possit, quum jam supra satiras ex versibus Saturniis et Fescennianis prodiisse et ab Ennio primo proprium poesis genus excultas esse intelleximus. Res haec est Lucilius non satirae omnigenae, sed certi cujusdam generis inventor habendus est. Duo jam genera satirarum, scenicarum et didacticarum Ennianarum, cognovimus, quibus ex posterioribus, Lucilio auctore, novum genus satirae, natura maledica praevalente³⁾, prodiit. Itaque Dan. Heinsius egregie admonet: „Cautè sunt legendi Flaccus et Quintilianus, quum Lucilii inventum Satiram esse voluerint. Non enim invenisse illud, quamvis sic loquantur veteres, existimandus est“. — Sed quum de discrimine, quod inter satiram Ennianam et Lucilianam intercedit, jam supra satis disputaverimus, nunc statim ad Lucilii ejusque sociorum ingenium rationemque scribendi transeamus.

Lucilius triginta libros satirarum scripsisse fertur, in quibus non modo mores suae aetatis in universum notavit, sed viros quoque potentissimos et nobilissimos⁴⁾, si modo opprobrio digni videbantur, non generatim, sed nominatim perstrinxit. Ex perpauca fragmentis, quae supersunt, eum sedecim Romanos celeberrimos acerbissime castigasse apparet, eumque etiam Caecilium, Terentium, Pacuvium, Atticum poetas praestantissimos licenter notasse, Gellius⁵⁾ testatur. Neque hoc mirum. Lucilius enim tempore, quo respublica summa libertate utebatur et libere dicendi licentia inimicos prohibuit, quominus contumeliae dolorem poena graviore ulciscerentur, satiras suas „characterè comoediae archaicae⁶⁾“ composuit, in quibus vitia, hominesque iis contaminatos libero ore notavit et unumquemque jussit,

„Hostem esse atque inimicum hominum morumque malorum,

„Contra defensorem hominum morumque bonorum,

„Commoda praeterea patriae sibi prima putare,

„Deinde parentum, tertia jam postremaque nostra“.

Inprimis eum luxuriam omniaque vitia ei cognata, quibus illo tempore nobiles praecipue Romani magnopere dediti erant, acerrime insectatum esse, clarissime apparet ex fragmentis librorum II., IV., VII., XI., XIII., XVIII. In libro I., qui „Deorum Consilium“ inscriptus est, poeta superstitionem, Deorumque negligentiam castigasse videtur.

¹⁾ Quint. I. O. X. 1. § 93.

²⁾ Hor. Sat. I. 10 v. 48 et 66. — II. 1. 62. — Quint. I. c. — Donat. de Trag. et Com. ante edit. Lindenbrochian. Terentii, et in edit. Zeuniana Terentii (Lips. 1774) pg. XXVII.

³⁾ Hor. Sat. I. 10. 3; Pers. I. 114; Juven. I. 165 sqq.

⁴⁾ Hor. II. 1. 69 sq.

⁵⁾ Gell. N. A. XVII. 21: „Tunc in poematis eorum obtrectandis Lucilius fuit“.

⁶⁾ Cic. Ep. ad famil. XII. 16.

Sed non solum censuram morum, verum etiam artium litterarumque Lucilium exercuisse Scholiastes ad Hor. Sat. I. 10. 67. nobis confirmat, quum eum in libris III., IX., X. „poetas seniores“ recensuisse annotet¹⁾. In libro IX. de grammatica et orthographia praecipue egisse videtur, quum parvum hujus libri fragmentum descriptionem nobis praebet discriminis, quod inter poëma et poësin intercedit. In libro V. oratores perstringuntur illi, qui Isocratem Atheniensem temere atque inepte eo tempore imitabantur. Liber III. descriptionem continet itineris Lucilii, quam Porphyrione teste Horatius Sat. I. 5. imitatus est.

Ex iis, quae adhuc de natura et indole satirae Lucilianae disputata sunt, rerum quoque varietas, quam in singulis libris reperies, clarissime apparet; quapropter hanc rem missam faciamus. Sed de forma ut aliquot disseratur, jam restat.

De oratione Luciliana criticorum sententiae magnopere discrepant. Fuerunt enim, qui ei „simplicem atque in affectatam jucunditatem“ vindicaverint, Luciliumque Horatio ipsi praetulerint. Nihil secius etiam reprehensores illi poetae non defuerunt: inprimis eum vehementer vituperat Horatius Sat. I. 4. 9 sqq.:

„Nam fuit hoc vitiosus: in hora saepe ducentos,

„Ut maguum, versus dictabat stans pede in uno.

„Cum fluere lutulentus, erat quod tollere velles;

„Garrulus atque piger scribendi ferre laborem,

„Scribendi recte“

Et Sat. I. 10. 50 sqq.:

„At dixi, fluere hunc lutulentum, saepe ferentem

„Plura quidem tollenda relinquendis“.

Horatius, dum nimium popularium in antiquos poetas amorem minuere studet, Lucilio fortasse plus aequo obtreecat, sed illa vitia non sine ullo jure notat. Nam quem, fragmenta satirarum Lucilianarum perlegentem, incondita orationis asperitas et versus limatiores quidem Ennianis, sed minus politi et comiti, quam poetarum aetatis Augustanae, effugient? Itaque Quintilianus, qui (I. O. X. 1. § 94) Lucilium contra ista Horatii opprobria fortiter defendit, ut ab hoc dissentiamus, nobis persuadere non poterit. — Praeterea idem Horatius Sat. I. 10. 20. Lucilium vituperat, „quod verbis Graeca Latinis miscuerit“; et sane hoc parvae satirarum reliquiae luculenter comprobant. Sed hoc vitium tempori potius, quam auctori tribuendum est. Tantum quidem inter omnes constat, Lucilium orationis venustate scriptores et veteres et aequales superasse, atque omnino de lingua Latina excolenda optime meritum esse, quae laus ab adversariis ipsis ei non derogatur. Horatius (Sat. I. 10. 65) fatetur, Lucilium fuisse limatiorem, quam rudis et Graecis intacti carminis auctorem et quam poetarum seniorum turbam²⁾. — Varro (ap. Gell. N. A. VII. 14. § 6) quoque genus dicendi Lucilianum gracile vocat, cui subtilitas quaedam ac venustas insit. Et sane haec testimonia fragmentis satis confirmantur. Nudam enim et velut incomtam quidem, sed pro illis tempo-

¹⁾ cf. Gell. N. A. VII. 3. § 28 sq. — XVII. 21.

²⁾ cf. etiam Hor. Sat. I. 4. 8. — I. 10. 53. — Cic. de orat. II. 6.

ribus subtilem in iis reperies orationem, quae neque nimis attollitur umquam, neque nimis submittitur, sed quam maxime variatur, quo rebus, tempori, hominibus ipsis accommodetur. Quo factum est, ut omnibus fere aequalibus posterisque placeret, non quod ex verborum reconditorum tenebris et ex litterarum Graecarum fontibus plurima hauserat nova, sed quod ipsius populi tum iudicia, tum ipsum sermonem retulerat.

Sed quum omnia percensere nostri consilii non sit, in iis, quae de Lucilii oratione adhuc disseruimus, jam acquiescendum est; sed restat, ut de metris Lucilianis nonnulla dicamus. — Lucilium primum pro horrido illo versu Saturnio vers. dactylicum in satiras induxisse ¹⁾, verum etiam aliis metris usum esse, inter omnes constat. Metrum jam dactylicum in primis viginti libris et in tricesimo reperies; fragmenta libri XXII. senarios jambicos, hexametros dactylicos, metrum elegiacum exhibent. Liber XXVI. totus ex tetrametris trochaicis acatalectis et catalecticis, nisi quod nonnulli septenarii et octonarii jambici insunt, liber XXVII. ex versibus trochaicis jambicis at dactylicis compositi fuisse videntur. In libro XXVIII. versus trochaici, jambici, dactylici mixti sunt; in libro XXIX. major versuum jambicorum numerus fuisse videtur, sed etiam cretici, dactylici, trochaici reperiuntur.

De metris Lucilianis hactenus, quum ex iis, quae dicta sunt, Lucilium in libris suis a satirae Enniana forma non multum esse mutuatum, satis appareat.

Horatio testo ²⁾ satiras Lucilianas complures poetae, parum quidem prospero successu, imitati sunt. Vates enim Venusinus ante se praeter P. Ter. Varronem Atacinum „quosdam alios“ genus dicendi satiricum frustra expertos esse enarrat; quosnam vero dixerit, incertum est. Saevium quidem Nicanorem ³⁾ Lenaeum ⁴⁾, Albutium ⁵⁾ eodem fere tempore, quo Lucilius, satiras scripsisse, ex scriptoribus passim colligi potest. Sed quum horum poetarum satiris tempus non pepercerit, de earum natura disputandum non est; quare hac quaestione supersedeamus, et ad Horatium Flaccum transeamus, qui omnes poetas satiricos, ipsum Lucilium, superavit atque obumbravit.

Q. Horatius Flaccus, poetarum Romanorum princeps, tempore fuit, quo pudori, honestati, reliquis virtutibus, quamvis a plerisque debito honore non afficerentur, bellum nondum aperte indictum erat: homines virtutem non colentes simulare eam saltem legibus publicis cogebantur. Quamobrem, quum imperator ipse vitiiis non patrocineretur, mores hominum corruptos erroresque, qui legibus non tenerentur, libero ore notare satirarum scriptoribus licebat. Quae quum ita essent, Horatius, virtutis Romanae amicus, „ridendo dicere vera“, secum statuit. Quod consilium ut exsequeretur, satirarum libros

¹⁾ Joan. Lydus de Magistratibus P. R. I. 41, pg. 153, ed. Benk.: „*Ῥίνθωνα, ὃς ἐξαμέτροις ἔγραψε πρῶτος κωμῳδίαν, ἐξ οὗ πρῶτος λαβὼν τὰς ἀφορμὰς Λουκίλιος ὁ Ῥωμαῖος ἠρωικοῖς ἔπεσιν ἐκωμῳόησεν.*“

²⁾ Hor. Sat. I. 10. 46 sqq. — Horatius ibid. v. 37 dixit: „haec ego ludo“, i. e. satiras ego scribo; et nunc addit: „Hoc erat“, i. e. hoc scribendi genus satiricum erat, in quo ego melius Varrone Atacino, frustra id experto, et quibusdam aliis versari possem.

³⁾ Sueton. de illustr. grammaticis ep. 5.

⁴⁾ Sueton. de illustr. grammaticis ep. 15.

⁵⁾ Varro de re rustica III. 2. — cf. Cic. Fin. I. 3; de off. II. 14; Tusc. Quaest. V: 37.

quatuor conscripsit, quibus ipsum „satirarum“ quidem nomen non imposuisse, Cruquius in commentario suo, ex vetustissimis codicibus ¹⁾ collecto, affirmat et comprobat. — Pari modo „sermonum et epistolarum“ inscriptionem ab Horatio profectam esse, quamquam ipse ²⁾ testari videtur, nullo tamen modo cum certitudine dici potest. Quam quidem vetustam esse, Sidonius Apollinaris ³⁾ probat, qui varia Horatii opera versibus complectitur et sic distinguit:

„Non quod per Satiras, Epistolarum,
„Sermonumque sales, novumque Epodon,
„Libros carminis et poeticam artem,
„Phoebi laudibus et vagae Dianae
„Conscriptis voluit sonare Flaccus“.

Grammatici quoque Horatii epistolas et sermones memorant; unde eum, qui illam inscriptionem probet, non vehementer peccare apparet. Falsa autem illorum opinio est, qui poetam ipsum quatuor libros uno nomine „sermonum“ comprehendisse affirmant. Est enim manifestum, eo ipso nomine Horatium et satiras et epistolas numquam proprio, ut ita dicam, titulo inscripsisse, sed hac sola de causa, quod sermoni i. e. orationi prosae, quam carmini propiores ⁴⁾ essent, eas ita appellatas voluisse. Quin vero omnibus illis libris inscriptio „satirarum“ merito imponi possit, nemo dubitabit, qui id esse satirarum proprium, quod multo misceant ac diversa et ad mores emendandos spectent, recordatus fuerit. Quam opinionem Scholiastes ad Hor. Sat. I. 1. hisce verbis confirmat: „Sermonum libri ideo dicti, quia vili sermone sunt potius quam tument, vel quia ad praesentes scribuntur. Epistolis enim ad absentes loquimur, sermone cum praesentibus. Quamvis igitur hoc opus satiram esse Horatius ipse profiteatur, cum ait: „Sunt, quibus in satira“ etc. (Sat. II. 1. 1): tamen proprios titulos noluit ei accommodari, hos duos libros primos sermonum, posteriores epistolarum scribens“.

Sed inscriptione missa, ad naturam et finem satirarum Horatianarum describendam progrediamur. — Satirae Horatianae maxime excellunt urbanitate, argumenti praestantia, eximia arte, qua poeta easdem res varia ratione tractat, lectores diversis excursibus observationibusque vel delectat vel docet et suos ipsius sensus sive tectius sive liberius expromit. Accuratius vero de natura et fine harum satirarum Casaubonus (l. l. pg. 227) ita disseruit: „Observandum est, quod tot immanium in Horatium commentationum scriptores video fugisse, Flacci satiras duorum generum esse inter se diversorum. Nam aliae sunt *ἐλεγκτικαί*, et ad notandos, ridendos, interdum et acrius increpandos vitiosos compositae: aliae ad praecipendum de virtute et ejus amorem insinuandum, *διδασκικαί*, non autem *ἐλεγκτικαί*. Libri duo, quos vulgo hodie Satirarum, veteres Sermonum titulo semper inscribunt, prioris generis sunt

¹⁾ In codicibus hi libri „Eclogae“ inscripti sunt.

²⁾ Hor. Sat. I. 4. 39; Ep. I. 4. 1; II. 1. 250 sq. II. 2. 60.

³⁾ Sidon. Apollinaris (scriptor christianus saec. V.) in epist. ad Tonant.

⁴⁾ Hor. Sat. I. 4. 42.

..... Epistololae ad posteriorem, quam diximus, speciem pertinent. Ibi praecepta virtutis plerumque nuda congeruntur. Multa etiam in illis de poëticis¹⁾ studiis erudite Flaccus disputat, magis docendi quam reprehendendi cujusquam gratia“.

His Casauboni verbis de natura satirarum Horatianarum, quae adjiciamus, non habemus, sed de earum indole aliquot addamus nobis liceat.

Horatius intima naturae humanae cognitione edoctus, tum erroribus et animi vel levitate vel infirmitate plura, quam ejus pravitate gigni vitia, tum mitia medicamina saepe salubriora esse acerbis: non tam vitia ipsa „stricto (Lucilio) ense“ petivit, quam stultitiam et errores humanos, ex quibus vitia nasci solent, facetiis et lepore depinxit. Nam saepe

„..... Ridiculum acri

„Fortius et melius magnas plerumque secat res²⁾“.

Magna praeterea in satiris Horatianis est novitas, delectatio, gratia, inde maxime quaesita, quod ea, quae in vitae communis sermone infinite dici solent, certis personis, locis, temporibus distinxit, omniaque exemplis illustribus confirmavit. Quia ratione verae cogitationes, ut ita dicam, in res gestas mutantur, et loco jujunae et aridae adumbrationis, quae generis didactici est, vivida morum humanorum imago oculis collustratur. — Praeter compositionis dramaticae artificium Horatio jam aliud, in rebus et inveniendis et disponendis positum, paene proprium est. Plerumque enim, occasione opportuna suppeditata et libidine ridendi et castigandi dissimulata, obliquis orationibus errores ac vitia carpit; ex sententia aliqua generali, in qua mente et cogitatione defixum se simulat, tamquam e fonte rivulos, res varias et sponte oblatas persequitur, tela inopinato mittit, ita ut saucius hostis hostem in jaculatore agnoscere non possit. Saepe de via, quam modo inierat, declinat et vel certum finem consiliumque haud sequi videtur, vel metam, si qua ei est, longis ambagibus lente petit.

Ex iis, quae de natura et indole satirarum Horatianarum disputavimus, omnem earum vim non tam castigando et increpando, quam ludendo et ridendo exprimi, clarissime apparet. Itaque non mirum, quod hoc satirae genus Romanis, qui ad hilaritatem propensiores erant, quam ad gravitatem, acceptum se reddebat, adeoque multum ad mores emendandos afferebat. Accedit jam, quod Horatius homines vitiosos non tam nominatim, quam generatim perstrinxit, quam ob rem omnibus fere gratus fuit. Non defuerunt quidem obtrectatores, qui, ut Horatii celebritatem comminuerent, eum id potissimum agere, ut certas personas laederet, mentiti sint: sed Horatius ipse hoc opprobrium falsum magna cum indignatione rejicit, satirisque suis finem moralem vindicat in Sat. I. 4. 78 sqq., 193 sqq; cf. etiam hoc loco Sat. II. 1. 39 sqq.

Horatium quidem nonnullos Romanos nominatim³⁾ perstrinxisse, negari non potest. Sed in eos dum taxat, quorum morum turpitudine et improbitas adeo nota et insignis erat, ut

¹⁾ Hoc loco Horatii epistola ad Pisones (de arte poetica) commemoranda est, in qua omnia eo redeunt, ut falsa, quae tum percrebuerunt, de poesi judicia modo jocando, modo docendo refellantur, et poetae, sine ingenio et doctrina poesin tractantes, eorumque vani laudatores perstringuntur.

²⁾ Hor. Sat. I. 10. 14 sq.

³⁾ cf. Sat. I. 5. 34; II. 3. 224; II. 4. et 8.

nihil amplius de bona fama, quam dudum amiserant, iis laborandum esset, „stilum destrinxit“, ita ut non possimus, quin poetam hac in re ab illo adversariorum opprobrio defendamus. Cave omnino accusationibus obtrectatorum Horatii, quum veritas praecipue, quae satiris Horatianis inest, eorum iram excitaverit, nimiam fidem tribuas.

Natura et indole satirarum Horatianarum descriptis, de oratione ac metris, quibus poeta usus est, aliquot jam disserendum est. — Quamquam Horatius Musam suam esse „pedestrem¹⁾“ et „sermones per humum repentes²⁾“ ipse fatetur, minime tamen dubitamus, ejus orationi quandam elegantiam, venustatem, festivitatem vindicare, quum nemo, qui Horatii opera perlegerit, ejus sermonem tersum, purum, magna quadam venustate, gratia, simplicitate conspicuum esse, leniter fluere, negare, eique illam artem admirabilem abrogare possit, qua naturae rerum, ad vitam vulgarem pertinentium, se accommodat. — Neque minus ratio peculiaris, quam Horatius in verbis elegendis servavit, admiranda est: ea enim adhibere solet, quibus sermo vernaculus electissimis quidem et ad rem quamque designandam aptissimis utitur. Quae quum ita sint, attentus quisque lector numquam sane, nisi pulchritudine aliqua perspecta, librum Horatii e manu deponet.

Metrum denique ad satiras perpetuo adhibuit heroicum, quod sermoni, i. e. orationi prosae, quam maxime accommodare studuit, quapropter versuum concinnitatem nonnumquam desiderabis. Sed haec Horatii negligentia minime vituperanda, imo vero, ad artis suspicionem removendam quaesita, et probanda et admiranda est.

Horatium secuti sunt complures poetae satirici, Sulpitia poetria, Manlius Vopiscus, Jul. Rufus, Jul. Florus, Turnus, Cornutus, alii, quorum satirarum fragmenta aut nulla, aut perpauca, eaque dilacerata, hodie exstant, quam ob rem eos (poetas) silentio omittamus. Majore tamen studio in satiris Persii et Juvenalis perscrutandis versemur propterea, quod hi poetae satiris suis, quae adhuc omnes exstant, magnam sibi compararunt gloriam. Quae satirae, temporibus rebusque plane mutatis, a natura hilari ac festiva Horatianarum alienae, natura maledica Lucilianis cognatae sunt. Moribus enim eo tempore, quo homines nequissimi rebus moderandis administrandisque praeerant, funditus depravatis, quum omnia vitiorum genera ubique vigerent, honores non virtutibus meritisque, sed vel divitiis et nobilitati, vel artibus inhonestis paterent; quum luxuria et libidines non corporis tantum, sed animi quoque vires vigoremque magis magisque exstinguerent: tum illi viri gravissimi honestissimique, experituri, si effuso resistere possent morum corruptorum cursui, exstiterunt, maximaque cum acerbitate et severitate vitia aequalium castigarunt. Ratio autem, qua Persius et Juvenalis in vitia hominesque nefarios invehebantur, diversa fuit ab illa, quam in satiris Horatianis reperies. Nam Augusti aetate, qua Horatius floruit, rebus laetis legibusque vigentibus, palam ridere licebat; Neronis vero et Domitiani temporibus, quae Persius et Juvenalis viderunt, ea erat conditio, ut poetae satirici paucis tantum amicis, quibuscum consiliorum societate morumque similitudine conjuncti erant, satiras scribere auderent. Quae quum ita essent, poetarum in-

1) Sat. ll. 6. 17.

2) Ep. ll. 1. 250 sq.

dignatio, sceleribus flagitiisque illorum temporum commota, quo majore cautione, undique mortis et exilii periculo imminente, premenda et, ne foras exiret, custodienda erat, eo liberius et vehementius inter parietes privatos, arbitris remotis, erumpebat, sed ipso cursu effrenato verborumque licentia eas perdidit virtutes fere omnes, quibus moderatio Horatiana satiras adornavit.

Temporibus descriptis, naturam et formam satirarum Persii et Juvenalis accurate et diligenter perscrutabimur.

Persius, anno XXXIV. p. Chr. n. Volaterris non humili loco natus, juvenis fuit acerrimo virtutis amore, vitiorum odio incensus, magna quadam animi tristitia paene oppressus et ad severitatem propensissimus. Quam animi proclivitatem deinde auxit Stoicorum disciplina austera, in quam Cornuto Stoico quodam duce venerat, summoque studio incubuit. Sed in Stoicorum placitis addiscendis omisit forsitan ea, quibus reliquae disciplinae et ingenium acuere et illam morum severitatem, in qua Stoici sibi placebant, mitigare potuissent. Persius enim, quum ad rigidae et severae virtutis regulas vitam ac mores exigeret, plurima hominum vitia ab erroribus et animi infirmitate saepius quam ab ejus malitia proficisci, pleraque salubri lenique medicamento magis, quam secando et urendo sanari posse, parum intellexit. Itaque summam iram atque indignationem in satiras effudit, severitateque Stoica in civium scelera ac nequitias invecus est¹⁾. Numquam ridet, sed vel conviciatur, vel frigidus immiscet jocos etsi se „petulanti splene cachinno²⁾“ esse profitetur.

Virtutibus poeticis a Lucilio, Horatio et, qui post eum scripsit, Juvenale, longe superatur, quum ei illa ingenii ubertas, quae vel ipsa novi quid parit, vel inventa aliorum aliqua ratione in suam rem convertit, magnam partem desit. Permulta enim Horatiana refert et, si Stoicorum scripta nobis servata essent, plurima haud dubie Stoica deprehenderemus. Quae quum ita sint, Quintiliani³⁾ et Martialis⁴⁾ laudes, quibus Persium efferunt, non tam ad majores virtutes poeticas, quam ad morum integritatem, ad nobilem ardorem, quo virtutem et sapientiae studium commendat, ad odium, quo in aequalium vitia invehitur, ad versuum concinnitatem, qua Horatium superat, pertinere nobis videntur. Nihilo tamen secius Persius sane lectoribus commendandus est. Nam praeter antiquitatis, praesertim vitae Romanorum privatae, morum, studiorum cognitionem, quam ex ejus satiris petas, multa iis insunt, quae ad mores fingendos mentemque illustrandam pertinent, inprimis Stoicorum doctrina de fine bonorum, de vera libertate, de sui ipsius cognitione, de mollitie a juventute removenda, de perversa studiorum ratione, de recto Deorum cultu et vera precum indole.

¹⁾ In satira I. III. IV. non obliquo et dissimulato, sed recto cursu, sine ulla praeparatione in stultitiam invehitur; in satira II. V. VI. non sine arte ex occasione idonea argumentum, quod tractare instituit, repetere videtur, qua ex re intelligas, eum haud plane ineptum Horatii imitatore fuisse.

²⁾ Sat. I. 12.

³⁾ Quintil. J. O. X. 1: 94: „Multum et verae gloriae quamvis uno libro Persius meruit“.

⁴⁾ Martial IV. 28. 7: „Saepius in libro memoratur Persius uno,
„Quam levis in tota Marsus Amazonide“.

Natura satirarum descripta, de genere dicendi, quo Persius in satiris scribendis usus est, aliquot disputemus.

Persii sermonem, ut ita dicamus, scabrosum, tropis inversionibusque duris refertum, aridum, concisum, arduum esse, inter omnes constat. Maxime obscuritas, quae ex nimia brevitate sententiisque abruptis proficiscitur, et studium omnia nove exprimendi nos offendunt; quae quidem vitia non tam Persii, quam saeculi propria fuerunt. Nam in duas partes scriptores illius temporis vergebant, quorum alii luxu, mollitie, lascivia diffluebant, et inani verborum bene sonantium copia surgebant¹⁾, alii contra, rigidi et severi, breviter et obscuritatem, sublimitatem et audaciam secuti sunt; in quorum numero Persius principem locum tenet: quam sententiam veram Seneca in epistola CXIV. egregie comprobatur.

In descriptionibus, exemplis, similitudinibus anxie plerumque sectatur parva, vel aliena immiscet, et magis in partibus exornandis, quam in summa rei declaranda versatur.

Hexametris adhibitis, Persius satiras sex conscripsit, quibus aut epistolarum formam induit, cujus generis sunt satirae II. V. VI., aut dramatica ratione utitur, in quarum numero satirae I, III, IV. habendae sunt. — Singulis satiris argumenta magis solida ac perpetua subjecta sunt, quare Persius a ceteris satirarum scriptoribus, qui in eodem libro vel etiam in eadem satira multa miscebant ac diversa, maxime differt; id quod nos quidem non impedit, quominus Persium dicamus in singulis satiris res tractasse varias, quae quidem arctissime inter se cohaereant et planius ad unum summum finem spectent.

Jam ad Juvenalem, ultimum poetam satiricum celebrem transeamus. Fuit hic poeta Trajano imperatore, quo regnante in vitia et turpitudines hominum tuto invehi, aut satiras, olim jam scriptas, sed ad id tempus in scriniis latentes et paucis tantum amicis recitatas secure evulgare cuique licebat. Itaque eodem ardore eademque indignatione²⁾, qua Persius, in vitia et scelera immania fronte libera insurrexit, sarcasmoque Archilochiano ea flagellavit, ita tamen, ut, quum acrimoniam, risu non mixtam et temperatam, parum proficere recte putaret, vehementia se abripi passus non sit, sed severitatem ac gravitatem Persianam quadam semper comitate condiderit. Irae vehementiam et indignationis vim in primis potissimum satiris, quibus singulos nebulones et res sordidissimas obscenasque³⁾ exagitat, maxime evomit; in iis tamen, quae ingenii maturioris et constantioris fetus videri possunt, irae aestus fere deferbuit et declamationis frigori cessit.

Sales Juvenalis saepe non minus urbani sunt ac faceti, quam Horatiani⁴⁾, plerumque vero amari et venenati, vel ad cachinnum, non risum commovendum apti, vel obsceni. Lepidi ejus joci spectant praecipue ad vanitatem vel sententiarum vulgarium de natura Deorum, vel fabularum poeticarum, quarum deridendarum nullam praetermittit occasionem⁵⁾.

¹⁾ Hoc genus scriptorum in satira I. Persii castigatur.

²⁾ Juvenalis: „Facit indignatio versum“.

³⁾ cf. Sat. VI., qua depravati mulierum mores acerbissime castigantur.

⁴⁾ cf. Sat. IV. VIII. XII.

⁵⁾ cf. Sat. I. 81. sq. II. 31 et 130 sq.; IV. 34. sq.; VI. 59; sq.; IX. 63. sq.; X. 246 et 314; XII. 23; XIII. 34 — 52. 76. sq. 112. sq.; XIV. 261.

Errorum scelerumque imagines ardentissimis coloribus plerumque adumbrat, in descriptionibus insignem rerum cognitionem ingeniique aciem, in exemplorum delectu iudicium subtile, sed in figuris exornandis nimiam interdum diligentiam ostendit.

Genus dicendi, quo Juvenalis utitur, omnino doctum, acre, pro rerum varietate ¹⁾ diversum est. Altius insurgit, quando rerum dignitas et gravitas hoc postulat; remissius loquitur, quando monentis partes agit; at numquam oratione utitur humili, quum „altius insurgenti Juvenali vitiorum immanitas eam non permetteret: cothurno eratei, ut in tragoediis incedendum; sermoque gravior ab epicis mutuandus, quo plerumque etiam apte, raro ambitiose et putide usus est“ ²⁾. Ab hac graviore ac sublimi oratione negligentia illa Horatiana, quae in jocoso dicendi genere mirifice nos delectat, ambagesque alienae sunt: Juvenalis recta plerumque via metam propositam petit.

Hexametris adhibitis Juvenalis satiras sedecim composuit, quarum plurimae ad amicum quendam scriptae sunt; sed nimis fortasse dicendi generi declamatorio assuetus, dramatica ratione raro uti solet, quam ut minus desideres, vivida dictio, sententiarum gravitas et veritas efficiunt.

Sed quum de natura et forma satirae Romanae adhuc satis disputatum esse nobis videatur, ad alteram hujus commentationis partem, in qua de similitudine vel dissimilitudine, inter satiram Romanorum et satyricam Graecorum poesin intercedente disserturi sumus, transeamus.

Romanos, quamvis in litteris Graecorum vestigia presserint, tamen satiram ipsos et invenisse et excoluisse, jam in commentationis exordio diximus: Complures contra viri docti, quos omnes jam supra memoravimus, satiram Romanam cum poesi Graecorum satyrica ita composuerunt, ut non solum illius originem ab hac ducendam esse putaverint, verum etiam duo genera similia, imo eadem, esse contenderint.

Quam opinionem ut rectam comprobent, ad illud Horatianum Art. poet. v. 220 sqq. nos revocant; sed frustra nobis persuadere studebunt, quum Horatius hoc loco nihil aliud dicere velit, nisi „poetam tragicum mox etiam tragoediis immiscuisse sales satyricos, eo quidem consilio, ut spectatoribus, qui delectari cupiant, hac grata novitate satisfaceret.“ Quibus rebus mixtis compositisque minima sane similitudo et cognatio utriusque generis poesis procreatur, maximum vero discrimen relinquatur. — Miramur etiam, quod ipse Casaubonus (l. l. pg. 243), Koenigius (l. l. pg. 24), alii viri doctissimi, qui alias satirae proprietatem Romanis vindicant, dramatis satyrici genus a Romanis quoque frequentatum esse contendunt,

¹⁾ „Quidquid agunt homines, votum, timor, ira, voluptas,
„Gaudia, discursus, nostri est farrago libelli.“

(Juv. I. 85. sq.).

²⁾ Koenig: De satira Rom. etc. pg. 88.

et hanc opinionem uno versu comprobendam esse putant, quem Marius Victorinus (no. 11. pg. 2591 ed. Putsch.) servavit:

„Agite, fugite, quatite, Satyri.“

Sed hunc versum nihil demonstrantem et non sincerum jam Eichstadius (in opusc. de dramate Graecor. comico-satyrico, pg. 79 not. 120.) restrinxit, recte de eo disputans: „Ille versus primum universe allatus est, et eo modo, quo grammatici abuti solent, id est, non indicato fonte, unde ductus sit. Deinde tanto ei minus fidei habendum duco, quanto manifestius est, Marium, ut singula metrorum genera exemplis illustraret, et alibi suoapte ingenio confinxisse versus, qui declaratis numeris responderent, et metra, imprimis Graecorum tantummodo poetarum usu nobilitata, latinis numeris expressisse. Cujus rei luculentum exemplum inveni libr. II p. 2546.“ — Quibus Eichstadii verbis Casauboni ejusque sociorum sententia plane rejecta est; sed ut error illorum virorum, qui satiram Romanorum cum satyrica Graecorum temere confundunt, refelli possit, naturam et formam utriusque generis poesis comparari necesse erit.

Perscrutemur igitur primum drama satyricum¹⁾, quod Casaubono interprete²⁾ „poema dramaticum est, tragoediae adnexum, chorum e Satyris habens, personarum illustrium actionem notabilem, partim seriam, partim jocosam exprimens, stilo hilari, exitu plerumque laeto.“ Quo cum dramate satyrico satira Romana saepissime inepte comparatur et confunditur. Ante omnēs criticos errantes Dan. Heinsius rem acu se tetigisse putat, quum in opusculo, „de satyra Horatiana libri duo“ inscripto, pg. 27. ita disputet: „Hoc nobis satis sit: quemadmodum Graecorum Satyrici, *ἀντοσχέδιον*, hoc est rude atque extemporaneum poema erant, antequam inventa esset fabula, ita nihil aliud fuisse Satyram Romanis, priusquam fabulam invenit Livius.“ Minime. Drama enim satyricum numquam carebat actione ex mythis petita, sed haec cum tragoediis ei semper communis erat; proprium autem habebant chorum e Satyris compositum, qui lasciva sua dicacitate spectatorum risum captabant, non vero, quantum quidem ex Euripidis „Cyclope“³⁾ apparere videtur, errores et vitia hominum deridebant⁴⁾, — Satiris contra Romanorum antiquissimis, quae ex versibus Saturniis et Fescenianis natae sunt, defuit chorus satyrorum, qui naturam dramatis satyrici constituit. Satirae

¹⁾ Natura cantus choricī dithyrambici, ex quo Aristoteles initia tragoediae repetit, antiquissimis temporibus laeta et hilata erat, quum Satyri, i. li Dionysi satellites hitari, quos Arion in scenam primus produxit, joca et seria miscerent, donec postero in tragoedis seria paulatim praevalerent, et a Pratinā ex stilo tragico res jocosae in drama satyricum removerentur, quo exodio ridiculo „spectator inter res tragicas satirarum quoque jocos et lusibus delectaretur.“ (Diomed. pg. 488 ed. Putsch.) Quod novum fabulae genus Atheniensibus mox tantopere placuit, ut poetas tragicos, de praemio certaturos, ut trinis tragoediis (*τριλογία*) drama satyricum subjungerent (*τετραλογία*), lege tenerent.

²⁾ Casaub. l. l. pg. 100.

³⁾ Haec una eaque integra fabula satyrica superest, cujus argumentum ex Homeri Odyssea IX. sumptum est.

⁴⁾ Diomed. III. p. 488: „Satyrica est apud Graecos fabula, in qua item tragici poetae non reges et heroes, sed satyros induxerunt ludendi causa jocandique, ut simul spectator inter res tragicas seriasque satyrorum quoque jocos et lusibus delectaretur.“

enim nihil aliud, nisi convicia mutua erant, non ex uno aliquo genere petita, sed a variis ac diversis rebus arcessita, nulla ratione inter se conjuncta, quum Romani rustici hoc tantum certarent, ut maledicta, probra, in se conjuncta, similibus et, si fieri posset, gravioribus mordacioribusque vindicarent. Et in satiris, de quibus Livius (VII. 2), loquitur, „ludiones, ex Etruria acciti, sine carmine ullo, sine imitandorum carminum actu, ad tibicinis modos saltantes, haud indecoros motus more Tusco dabant. Imitari deinde eos juvenus, simul inconditis inter se jocularia fundentes versibus, coepere, nec absoni a voce motus erant“ . . .

Drama igitur satyricum natura et indole a satira Romana diversum est, ita ut cum hac nullo modo comparari possit ¹⁾

Rectius quidem, si finem spectes, cum dramate satyrico exodia Romanorum conferas, quum utrumque genus tragoediis jungeretur et id spectaret, „ut, quicquid lacrimarum atque tristitiae ex tragicis affectibus (spectatores) cepissent, hujus spectaculi risus detergeret“ ²⁾.

Nihilo minus, quam Dan. Heinsius, etiam G. J. Vossius erravit, quum in Etymol. l. lat. p. 450. scribat: „Satira Luciliana ita dicta videtur a satyrica poesi; nam huic (et sillis) erat similis ob maledicentiam“ Idem enim discrimen, quod Eichstadius (in opusc. de dramate Graecorum comico-satyr. p. 61.) inter satiram Horatianam et satyricen Graecorum intercedere recte docet, etiam in satiram Lucilianam sine dubio referri potest. Nam ut satira Horatiana, ita quoque Luciliana, „quod a morum integritate severitateque profecta, iudicio de rebus humanis liberali, mentisque generosae honesta indignatione niteretur, materiem omnem ridiculi repetiit ab istis gravioribus vitiis, quae essent in vita hominum et moribus, quaeque satyricis salibus perfricata, coërceri possent et salutis publicae causa emendari. Graecorum contra Satyricae, dicacitatis laude contenta, non tam risum sectata est satyricum, quam comicum derisum, et cavillandi magis libidine excitata, quam corrigendi studio impulsa, modo fortunas civium, modo corporis deformitatem et alia leviora vitia . . . contumeliarum aculeis lacessivit“

Majorem veri speciem comoediae antiquae Atticae comparatio cum satira Luciliana nobis praebet, siquidem haec non solum testimonio Diomedis, verum etiam ipsius Horatii nititur, qui (Sat. I. 4. 1 — 9) ab Eupolide atque Cratino aliisque poetis comoediae principibus omnem Lucilium pendere dicit. Affinitas jam vera satirae Lucilianae cum comoedia antiqua, si summam spectes, in libertate illa, sive, ut Juvenalis (I. 153.) ait, simplicitate ponenda est, qua utrique poetae, et Luciliani et comici, ad rempublicam corroborandam, moresque hominum emendandos vitia publica hominesque iis contaminatos notaverunt et castigaverunt. Quidquid enim sive in morum luxuria sive in litterarum iudicio corruptum et

¹⁾ Praeter fabulas tragico-satyricas fuerunt quoque comico-satyricae (cf. Athen. II. p. 40 ed. Casaub.), quae raro et inscriptionis tantum, non argumenti ratione habita, a scriptoribus memorantur. Eichstadius (in proleg. ad Plaut. Amphitr. v. 59 sq.) huc refert Comodo-Tragoediam Alcaei, Hilario-Tragoediam Rhintonis (cf. Hermann, de satirae Rom. auctore pg. 32) et Tragico-Comoediam, quarum fabularum fragmenta non supersunt, quapropter difficile dictu est, qualis fuerit earum natura et indoles.

²⁾ Scholast. ad Juven. Sat. III., 175; cf. etiam Diomed. III., p. 488.

depravatum animadverterunt, id, igne ferroque indignationis aggressi, velut publicum damnum impugnaverunt et quam acerbissime momorderunt. — Praeterea etiam satiram Lucilianam, quum comoediae antiquae potissimum artem deberet perfectiorem et elegantiam, quibus „rude Romanorum carmen“ carebat, ab hac pendere Horatius optimo jure dicere potuit.

Sed ea ipsa re, qua comoedia antiqua satirae Romanae maxime affinis erat, Jambis ab ea differebant. Jambis enim, quales inter Graecos Archilochus, Simonides, Hipponax condiderunt, „quamvis indignationis fervore et lyrico quodam impetu magnam cum satira affinitatem haberent, tamen, quum non, ut illae, vitia publica hominesque publice famosos castigarent, sed inimicitiarum privative odii pleni essent, ab iis magnopere abhorruerunt¹⁾. Archilochum, quod Lycambes quidam Neobulen filiam, poetae desponsatam, perfidus alii cuidam homini in matrimonium dederat, „proprio rabies armavit jambo“²⁾; et Hipponax Bupalum et Athenidem artifices, quod poetae deformissimi imaginem sculperant, jamborum maledicentia virolenta insectatus est; Simonides in mulieres invisas quam vehementissime invehitur. Poetae contra satirici Romanorum non ad inimicos ulciscendos et insectandos, sed ad mores emendandos satiras conscripserunt, quem satirarum finem moralem Horatius Sat. I. 4. 103 — 107, egregie docet.

Quibus jambis, si cavillationes et mordacia dicteria spectes, affines erant Graecorum silli³⁾, quorum inventor Xenophanes „γράφει καὶ ἐν ἔπεσι, καὶ ἐλεγείας καὶ ἰάμβους κατ' Ἡσιόδου καὶ Ὀμήρου, ἐπικόπιων τὰ αὐτῶν περὶ θεῶν εἰρημένα“⁴⁾.

Praeter Xenophanem etiam Timon Phliasius⁵⁾ sillos scribendo tantam sibi comparavit celebritatem, ut κατ' ἐξοχὴν diceretur „ὁ Σιλλογράφος“; quare hac voce, etsi nomen non addatur, ubique Timonem significari putes.

Metro heroico adhibito, Timon sillorum libros tres conscripsit, in quibus summa cum acerbitate et maledicentia philosophorum dogmata irridentur. — Ut vero natura et forma sillorum paucis describantur, hoc de iis statuendum est. Nihil fere nisi convicia, ex inimicitiiis privatove odio profecta, silli redolebant, praecepta autem salubria et bona consilia, quibus satirae Romanae refertae erant, in iis frustra quaeres; parodias contra, quae satiris Romanis minime propriae sunt, in sillis ubique reperies⁶⁾; unde sillos Graecorum nullo fere modo cum satiris Romanis componi posse luce clarius apparet. Itaque Dan. Heinsius in sillis

¹⁾ Hermann, de sat. Rom. auctore etc pg. 28.

²⁾ Hor. Epist. ad Pison, v. 79.

³⁾ Nomen *σιλλῶν* proxime a voce *ἴλλος* ducendum est, quae idem valet, quod *ὄφθαλμός*. Ultima vocabuli radix est *εἶλω* (*ἰλλαίνω*—*σιλλαίνω*) i. e. detorqueo (oculos), quare *σίλλος* proprie irrisionem, quae detortis oculis fit, significat.

⁴⁾ Diog. Laert. IX. 18.

⁵⁾ cf. Diog. Laert. IX, p. 109—111. Suidas p. 478 J. Fr. Langheinrichii dissert. de Timone Sillographo.

⁶⁾ Dictionnaire raisonné des sciences publié par Diderot; s. v. „Sille“: „Il y a pourtant cette différence essentielle, que les sillés des Grecs étaient des parodies d'un bout à l'autre, ce qu'on ne peut pas dire des satires des Romains.“

saurisque comparandis vehementer fallitur, quum utrumque genus poesis tam simile esse putet, ut eum, „qui satiram Horatianam Sillos, aut Timonis Sillos appellet satiras“ non peccare contendat. Cautius quidem illam comparationem suscepit Casaubonus (l. I p. 220) affirmans: „Sillos ex omni Graecorum poesi plurima cum Romana satira communia habere; utrumque enim esse narrativum, vel certe mixtum, utrumque vehemens in objurgatione: *διασυγκικόν* denique utrumque et plenum cachinnorum.“ Sed et haec sententia restringenda nobis videtur. Nequaquam enim satirae Horatianae est, perpetuo homines procaciter lacescere, sed potius sermone faceto gaudet, qui singula, utut occurrunt, permiscet.

Cum sillis iterum, si naturam spectes, Margites Homeri¹⁾ conferendus est, qua in fabula comica homo valde stolidus et fatuus ridetur, ut rideatur, non autem, ut mores ejus emendantur. Cum satiris igitur Romanis rationem objurgandi communem habet, ceterum vero ab earum natura plane abhorret. Minime autem Homeri fabula, „Eiresione“²⁾ inscripta, quum nihil aliud, nisi cogitationes lepidas ac ridiculas de mendicorum conditione misera continuisse a scriptoribus perhibeatur, cum satiris Romanis comparari potest.

De satiris Varronianis et scriptis Menippeis jam supra multum disputavimus, ibique Menippum neque satiras umquam scripsisse, neque ab ullo veterum scriptore inter poetas relatum esse diximus. Neque injusta haec obtrectatio. Scriptis enim Menippi, qualia supra descripsimus, defuit tum illa rerum varietas, qua omnes satirae Romanae excellebant, tum ista hilaritas, qua satirici, imprimis Varro, suas condiderunt satiras. Desiderabis etiam in iis finem, ad mores formandos spectantem, quem Varro ubique secutus est, et illam rationem, qua hic poeta satiricus non solum philosophos, verum etiam omnia fere genera hominum ineptorum rerumque perversarum amplexus est. Magnum igitur discrimen inter scripta Menippea et satiras Varronianas intercedit. Quod vero inter Menippum et Varronem similitudinis reperitur, hoc esse videtur: uterque poeta in philosophis irridendis, Menippus quidem totus, Varro autem magnam partem versatus est, ita tamen, ut irrisionis acerbitas, quae Varronis est, magna quadam festivitate temperata sit: quae res Varronem, ut satiras suas „Meneppeas“ appellaret, maxime movisse videtur³⁾.

Idem fere discrimen, quod inter Menippum et Varronem intercedit, etiam inter hunc et Julianum Apostatam statuendum est, quapropter omnem comparationem missam faciamus.

Denique Luciani sophistae dialogi festivi hoc loco commemorandi sunt, quibus omnia genera fraudum, superstitio, stultitia, philosophia inepta, tanguntur et nonnunquam profusius irridentur. Sed hos dialogos perlegens, scriptori merito derogabis consilium, quo Varro mores

¹⁾ Haec fabula a multis criticis Homero abjudicatur (cf. Fabricii biblioth. Graec. ed. Harles V. I. p. 383.) a compluribus autem ei adscribitur, in quibus Aristoteles (de Art. poetic. c. 7 et 8) qui etiam c. 8. originem comoediae ex hoc carmine epico ducit.

²⁾ *Εἰρεσιώνη* (*εἶρος*) proxime erat laurus, lana circumvolutus, qui festis, *Ἰβανεψίαν* et *Ῥαργηλίαν* quos dicunt, quum Helio Horisque sacra fierent, a pueris circumferebatur (cf. Scholiast. ad Aristoph. Epuit. 725, Vesp. 399). Deinde etiam cantus, qui illis festis audiebatur *εἰρεσιώνη* vocabatur, ideoque etiam alii cantus mendicorum ita dicti sunt. Hom. epigr. 15.

³⁾ cf. Gell. N. A. II. 18.

hominum emendare studebat, maximam vero levitatem ei crimini dabis et impietatem, qua omnia divina ac humana ore maledico carpebat, hominumque mores non corrigebat, sed pejores reddebat. Itaque jam per se intelligitur, qua ratione Lucianus cum Varrone comparandus sit, qua ab eo differat, quam ob rem hanc quaestionem finitam velimus.

Natura igitur et forma satirae Romanorum descriptis, satyricisque Graecorum collatis, nihil infirmata est sententia nostra, ex qua inter utrumque genus poesis nulla fere affinitas et similitudo intercedit; adeoque Horatii (Sat. I. 10. 66) et Quintiliani (J O. X. 1. § 93) verba, quibus satirarum proprietas Romanis vindicatur, plane probare et fortiter defendere non dubitamus.



Schulnachrichten.

I. Unterrichts-Uebersicht.

Ober-Prima.

Ordinarius: Der Director.

1. Religionslehre. Geschichte der Kirche von Constantin bis auf die Gegenwart; Wiederholungen aus der Glaubens- und Sittenlehre nach Martin's Lehrbuche. Erklärung der Briefe an die Epheser und an die Philipper. Wöchentlich 2 Stunden.
Der Ordinarius.
2. Deutsch. Lectüre poetischer und prosaischer Musterstücke aus Bone's Lesebuch II; Göthe's Iphigenie. — Uebersicht der Geschichte der deutschen Literatur seit 1500. Genauere Einführung in Göthe's Leben und Werke. — Fortsetzung der empirischen Psychologie; Grundlehren der Logik. — Leitung und Censur des Aufsatzes. Wöchentlich 3 Stunden.
Oberlehrer Harnischmacher.
3. Latein. Cic. pro Lig. — De Nat. Deorum, L I. — Tac. Ann. I. 1—31, 55—81. Privatim mit Besprechung in der Klasse Cic. Cato M.; Abschnitte aus Liv. IV, V, VI extemporirt. Erklärung größtentheils lateinisch. — Wiederholungen aus der lateinischen Formenlehre und Syntax nach F. Schulz. — Wöchentlich 1 Extemporale, von Zeit zu Zeit Exercitien; Leitung und Censur des Aufsatzes. Wöchentlich 6 Stunden.
Der Ordinarius.
Poetische Lectüre: Ausgewählte Oden aus Hor. lib. II, III, IV, nebst einigen Episteln. Interpretation theilweise lateinisch. Mehrere Oden wurden memorirt. Wöchentl. 2 Stunden.
Gymnasial-Lehrer Ferrari.
4. Griechisch. Xen. Cyrop. verschiedene Abschnitte. Plat. Eutyphro, Meno. c. 1—20. Dem. Orr. Olynth. 1, 2, 3. — Grammatische Wiederholungen aus der Formenlehre und Syntax. — Wöchentlich eine schriftliche Arbeit, theils Extemporalien, theils häusliche Exercitien. Wöchentlich 4 Stunden.
Oberlehrer Dr. Kirchhoff.

Hom. Jl. L. 8, 10, 12, 13, 16—22, worunter 8, 10, 12 privatim mit Besprechung in der Klasse. Erklärung großentheils lateinisch. Wöchentlich 2 Stunden.

Der Ordinarius.

5. Hebräisch. Wiederholung und Vervollständigung der Formenlehre nach Rosen. Die wichtigsten Regeln der Syntax. Gelesen, übersetzt und analysirt wurden mehrere Stücke aus dem 1. Buche Samuel und einige leichtere Kapitel aus den Propheten. Durchschnittlich alle 14 Tage eine schriftliche Arbeit. Wöchentlich 2 Stunden.

Oberlehrer Becker.

6. Französisch. Gelesen wurde Montesquieu: Sur les causes etc. und Athalie par Racine. Wöchentlich 1 Extemporale, zum Theil im Anschluß an bestimmte Kapitel der Grammatik (Knebel). Wöchentlich 2 Stunden.

Gymnasiallehrer Franke.

7. Geschichte und Geographie. Neuere, vorzüglich preussische Geschichte bis 1815. — Allgemeine Repetitionen. — Alte und neue Geographie der drei südeuropäischen Halbinseln; Beschreibung Amerika's; Repetitionen. Wöchentlich 3 Stunden.

Ferrari.

8. Mathematik. Progressionen, Zinseszinsrechnung, Kettenbrüche, diophantische Gleichungen, Combinatorik, Binomischer Lehrsatz. Zusammenfassende Repetition des ganzen mathematischen Lehrpensums. Mündliche und schriftliche Uebungen. Nach den Lehrbüchern von Feaur. Wöchentlich 4 Stunden.

Harnischmacher.

9. Physik. Die Grundlehren der Astronomie. Die Lehre vom Schalle und vom Lichte. Nach Koppe. Wöchentlich 2 Stunden.

Harnischmacher.

10. Gesang. Uebung des Kirchengesanges und des ausgewählten Chors von Männerstimmen. Wöchentlich 1 Stunde.

Gesanglehrer Peters.

Unter-Prima.

Ordinarius: Oberlehrer Dr. Kirchhoff.

1. Religionslehre. Die katholische Sittenlehre. — Die Kirchengeschichte bis zum 16. Jahrhundert. Nach Martin's Lehrbuch. Wöchentlich 2 Stunden.

Der Ordinarius.

2. Deutsch. a. Lektüre: Das Nibelungenlied (soweit es in Bone's Lesebuch II enthalten ist); Proben aus Wolfram's Parival und Titarel; die in Bone mitgetheilten Lieder und Sprüche Walther's von der Vogelweide. Einige prosaische Abhandlungen von Schiller; Wilhelm Tell. — b. Aeltere deutsche Literaturgeschichte bis zum 16. Jahrhundert. Einführung in Schiller's Leben und Werke. — c. Leitung und Censur des deutschen Aufsazes. — d. Uebersicht der Psychologie. — e. Uebungen im Deklamiren und im freien Vortrage. Wöchentlich 3 Stunden.

Der Ordinarius.

3. Latein. a. Grammatik: Die Lehre vom Satzbau und die Syntaxis ornata; nach Schulz § 428—468. Repetitionen aus der Casuslehre. — b. Prosaische Lektüre: Cic. pro lege

Manilia; pro M. Marcello; de amicitia. Liv. lib. VI größtentheils extemporirt, Ab. XXI als Privatlectüre. Bei der Interpretation Uebung im Lateinsprechen. c. Correctur der Aufsätze und der wöchentlichen, zuweilen mit häuslichen Exercitien wechselnden Extemporalien. Wöchentlich 6 Stunden. Ferrari.

d. Poetische Lectüre: Hor. Carm. L. I, II und Epp. zum Theile. Sat. I, 1, 6, 7, 9. Interpretation, theilweise lateinisch; der größte Theil der Oden wurde memorirt. Wöchentlich 2 Stunden. Der Director.

4. Griechisch. a. Lectüre: Xen. Cyrop. III, Abschnitte aus IV und V. — Plato Laches. Thucydides, ausgewählte Abschnitte aus lib. I, II und III. — b. Grammatik: Die genera und tempora des Verbum, Wiederholungen aus allen Gebieten der Grammatik. c. Wöchentlich eine schriftliche Arbeit, theils Extemporalien, theils häusliche Exercitien. Wöchentlich 4 Stunden. Der Ordinarius.

Hom. Ilias I—VIII mit Ueberschlagung einiger Parteen. Becker.

5. Hebräisch. Combinirt mit Ober-Prima.

6. Französisch. Beendigung der Syntax nach Knebel, von der Rektion des Zeitwortes angefangen. Montesquieu considérations sur les causes chap. I—VII. — Alle 14 Tage ein Pensum und ein Extemporale. Wöchentlich 2 Stunden.

Gymnasiallehrer Leinemann.

7. Geschichte und Geographie. Deutsche Geschichte von der ältesten Zeit bis zum Westfälischen Frieden mit steter Berücksichtigung sowohl der Universalgeschichte, als besonders der Brandenburgisch-Preussischen Geschichte. Nach Püg. — Geographie von Europa, vorzugsweise Deutschlands. Wöchentlich 3 Stunden.

Der Ordinarius.

8. Mathematik. Ebene Trigonometrie und Stereometrie, nach Féaux. Schriftliche und mündliche Uebungsaufgaben. Wöchentlich 4 Stunden. Der Director.

9. Physik. Die mechanischen Erscheinungen der Körper. Nach Koppe. — Die Grundlehren der Astronomie. Wöchentlich 2 Stunden. Garnischmacher.

10. Gesang. Combinirt mit Ober-Prima.

Ober-Secunda.

Ordinarius: Oberlehrer Becker.

1. Religionslehre. Die besondere katholische Glaubenslehre nach Martin's Lehrbuch der katholischen Religion. Wöchentlich 2 Stunden. Der Ordinarius.

2. Deutsch. Lectüre aus der Messiade und ausgewählter Oden Klopstock's; genauere Einführung in das Leben und die Werke des Dichters. Lectüre aus Bone's Lesebuche Theil II. — Poetik. — Einübung mehrerer Metra an selbstgewählten Stoffen. — Lehre

über den Aufsatz, besonders über die Einleitung und den Schluß. Uebungen im Inveniren und Disponiren. Alle 4 Wochen ein Aufsatz. Wöchentlich 2 Stunden.

Gymnasiallehrer Berthold.

3. Latein. a. Grammatik: Die gesammte Syntax des Verbums, nach F. Schulz, Kap. 54 — 67; b. Prosaische Lectüre: Liv. lib. IV u. lib. V. (größtentheils). Cic. orat. in Cat. I, II, III. Aus ersterer wurden einige Kapitel memorirt. Privatim lasen die Schüler die beiden ersten Bücher aus Caes. de bello Gall. — c. Wöchentlich ein Pensum (nach Teipel) und ein Extemporale, dessen Inhalt sich an die Lectüre angeschlossen; an die Stelle des Pensums trat im Sommersemester durchschnittlich alle 14 Tage ein lateinischer Aufsatz; häufige Uebungen im Lateinsprechen. Wöchentlich 8 Stunden.

Der Ordinarius.

d. Poetische Lectüre: Virg. Aen. lib. III; Ecloga I — IV; Georg. Lib. IV. Wöchentlich 2 Stunden. Bis Februar Gymnasiallehrer Schröder, seitdem der Ordinarius.

